

www.e-rara.ch

Joh. Helffrici Jungken... Chymia experimentalis

Jüngken, Johann Helfrich

Francofurti ad Moenum [Frankfurt am Main], 1702

ETH-Bibliothek Zürich

Shelf Mark: Rar 2166

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-15237>

Sectio III. Regnum vegetabile percurrit.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]



S E C T I O III.
R E G N U M V E G E T A B I L E
P E R C U R R I T.

CUM Omnipotens Benedictus Naturæ Parens, Summus & Maximus omnis universi motor, omniumque Creaturarum verum principium, ita providisset, ut interna vis & efficacia, quam verbo FIAT impresserat, *visibili & comprehensibili corpore includeretur*, in quo & per quod exereret vires, & quo mediante operationes perficeret; ex unione vero ista intrinseca & amicâ concordantiâ, vires rerum principaliores Quales sint; hinc unumquemque verum & naturalem Philosophum eo adactum sentio, ut in veras rerum causas inquirat, & non chimæricis vel fictis incubet, veluti magna *Galenicorum caterva in plantarum* indagandis viribus aberrans egit, quæ harum vires, *caloris & frigoris gradibus dimensa est*, in magnum certè sanitatis humanæ nocumentum, ignorans Qualitates has à rebus abstractas constitutivis advenire principiis, ab objecti tantum appropriatione, neque hæc Qualia esse Qualitates, utpote quæ nunquam causarum vices suppleant: *Nec frigidum, calidum* pro substantiis habenda esse, sed juxta *Hippocratem Acidum, amarum, salsum, acerbum, austerum, &c.* Atque ita non generari morbos à frigido, calido, &c. sed à Qualibus vario modo depravatè dispositis, neque plantas ab iisdem dependere Qualitatibus, sed à dictis *Hippocraticis* acido, salso, amaro, &c. tales esse constat.

Sic quæ inter plantas illis *primo gradu frigida* audiunt, deprehendimus *acida esse*, ut *acetosa, acetosella, ribes, berberes, &c.* Hæc cum copiosiori aquâ defricata obtineant Acidorum spicula, ut linguæ fimbrias adeò punctim non intrent, debiliora existunt, ab illis primo hinc frigiditatis gradu insignita.

Quæ verò *secundo gradu frigida* ab eis pronunciantur, *austera sunt, & adstringentia*, ut *tormentilla, bistorta, &c.* Hæc ob terræ copiam, sal volatile plantæ coarctantem talia sunt, & non à frigore secundo gradu concentrato.

Observamus hoc in fructibus immaturis, ubi particulæ salinæ viscosis, & terrestribus detinentur heterogeneitatibus, quæ vero Solis æstu & motu ita exaltantur, ut terreis particulis subactis, saporem austerum mutant, & dulcia reddantur. Austera itaque, mediamentibus aliis, particulæ salinæ redditæ, sunt, quæ papillas linguæ adstringunt, humores inspissant, & non frigus.

Quæ illis sunt *Quarto gradu frigida*, hæc *Acerba sunt* à terrarum particularum excessu, & styptici salis amaritudine, veluti inter Vegetabilia *quercus, hypocistis, acacia*: inter terras, *sigillatæ variæ, bolus, &c.* inter Mineralia *vitriolum*. Hæc papillas vehementius constringunt, ac concentrant, spiritus stupefaciunt, fauces strangulant, nisi aculei aliis oblinantur vel deterantur.

Patet hinc *non frigore dimensuratos gradus, sed particulas salinas esse, varie commixtas, alteratas & figuratas*, quæ hos producunt effectus, dum à circumferentia ad centrum tendere, vel concentrari coguntur, ab aliis impeditæ, irretitæ, vel vario modo alteratæ.

In calidis majus Dominium cepit Volatile, & subtilius sal, quod heterogeneitatibus non adeò obrutum, nec aquâ dilutum, à centro semper sursum exilire intendit. Et cum particulæ salinæ non adeo acuatæ sunt, ac papillas linguæ jucundè feriunt, concomitante propter agilitatem sensu calidi, ab eis primo caliditatis gradu adnumerantur.

Sed cum subjectum *flagrantiori Solis motu salinas particulas plus acutas, & volatiles* obtineat, ab aliis impedimentis liberas, linguæ fibrillas paulo potentius vellicant, hinc magis resolvunt, abstergent, *Diaphoretica, Diuretica & Errhina* sunt, ut quæ amarificant, & ex amaro dulcescunt veluti *aromata, & aromatica omnia*, ut *gentiana, Angelica, absinthium, card. benedict.* &c. Quæ tamen in locis Meridionalibus intensius & fortius linguam afficiunt, quam quæ in
his

his nostris enata fuere, ac ideo tanquam plus excocta & perfecta multum spiritus & olei stillant è sale pronata. Ecce! hæc *secundo & tertio caliditatis gradui adnumerarunt.*

Cum autem sal adeò exasperatum sit, ut quasi erodat, vesicæque excitet, uti *Euphorbium, Helleborus, &c.* hæc *ultimo caliditatis gradu* concreta esse sibi fuere persuasi.

Videmus ex his multum aberrare *Galenicorum* catervam, dum *Qualitates pro substantiis, & effectus pro causis substituerunt*, unde etiam non mirum, si veras simplicium medicaminum vires adhuc dum maximam partem ignoremus, cum adeo ruditer in eis verè indagandis progressum sit, ut centesima vix planta eundem præstet effectum, qui à *Dioscoride* insignitus deprehenditur.

Cum ideo videmur adacti, ut in simplicium vel Vegetabilium indagandis Qualibus plus navemus operam, ignis Analyfi subjicienda erunt, quæ verè, ex quot & quibus ea constant, docebit.

C A P U T I.

Aromata resolvit & ex his primo Cinnamomum.

HOC cum ardentiori sale acuatum sit, eique celerior à Sole adfricatus motus, minima exserit spicula, & sensu adustioni analogo linguam titillat, oleo subtilissimo ut plurimum constans: Si enim ex retorta destillemus, copiosum extillat phlegma, spiritus acidiusculus, & duplex oleum: hinc constat, quantum salinæ in eo obriguerint particula.

Ut vero has summè exaltatas & perfectas particulas ita separemus quo aptè corpori humano applicari queant, varie destillamus, v. g. pro acquirenda.

Aqua Cinnamomi.

℞. *Cinnamomi electi* ℥j. crassiusculè contusum excipiatur *Aq. rosar. fragr. & vini generosi* ana. ℥. iij. maceratione factâ in vase bene

Q 2

clauso

clauso 14. dierum spatio, destilletur ex vesica stanno probè obducta, cum capitello stanno, & refrigeratorio optime munito.

Aqua quæ primo exstillat sublactei coloris, quia melior, seorsim excipiat, ut & altera quæ prodit clara; tertia vero quia vilior est, asservetur pro novâ cinnamoni infusione.

Si loco aquæ rosarum addimus *Aq. borraginis, buglossæ, vel vinum cydoniorum*, tum vocatur *Aq. Cinnamomi borraginata, buglossata, vel cydoniata*. Et si loco vini simplicioris, *Malvaticum, Moschatellinum*, substituimus, Cinnamomi Aqua efficacior evadit. Si vero horum loco ipsum addamus *spir. vini*, spirituosa admodum edestillat.

Vires hujus *omnium aquarum nobilissimæ*, non satis deprædicari fere possunt, in omnibus corporis humani infirmitatibus, propter subtilissimas summè dulces particulas spiritui nostro Animali maxime similes, & convenientes, unde *addunt robur, confortant stomachum*, & omnes functiones naturales. Usus verò insignis est *in virium diminutione*, animi deliquiis, cerebri, cordis, ventriculi, & uteri frigidis affectibus, ubi tum particulis nobilioribus irretitis, & aliis heterogeneitatibus obrutis, succurrunt, ut fortificati vincant & subigant impedimenta & obstacula Acidum crudius foventia.

Dosis est à cochlearia s. ad j. vel ij. prout vel debilis vel fortior existit.

Gravidis cautè propinatur, cum facilè effervesces, & sanguinem nimium movens, partum acceleret ante tempus, tempore vero debito propinata percelebres exertura sit effectus.

AQUA AD PARTUM FACILITANDUM.

Quæ si ex professo in hunc scopum dirigi debeat, præparetur, addendo libræ uni *Cinnamomi, corticum citri, angelic. imperator, Zedoar, flor. arant. fol. melissæ, pulegii ana. ℥j.* hæc debitâ maceratione peracta destillentur, & prodit aqua admirandarum virium, in partu accelerando, menstruis suppressis, &c.

ELIXIR

ELIXIR CINAMOMI.

Paramus etiam ex *Cinnamomi* cortice elixit jucundum, ex contusis grossè, optimi corticis fragmentis, cucurbitæ inditis, affuso ad trium digitorum eminentiam *spiritu vini* non rectificato, in balneo leni, quod coloratum est separatur, postea novus affunditur spiritus, repetiturque labor donec color omnis sufficienter est extractus. Postmodum verò liquore in eodem balneo ad dimidias abstracto, in fine additur *Essentia moschi*, & *ambrae*, cumque *julepo sacchari* dulcoratur, ut fiat Heroum nectar.

Vel ex aquâ ipsâ *Cinnamomi* auxilio *Tinctura santali croceati*, & *sacchari*, adjecta aliquâ *Alkermes* particula, paratur Elixir visu jucundissimum, & usu excellentissimum.

OLEUM CINAMOMI.

Si ipsas olei particulas ex nobili *Cinnamomo* concentratas desideremus, quæ in aquâ, spiritibus vectæ non apparent, hoc procedas modo :

℞. *Cinnamomi optimi odoratissimi & acrioris* ℞. iij. crassiusculè fractum hinc inde consperge cum *vini albi generosi* ℞. j. tum vesicæ immitte cum 8. vel 10. mensuris *aquæ fontanae*, & subito non interjectâ morâ destillare incipe, donec duæ præterpropter mensuræ egressæ sunt, quæ lactei erunt coloris, cui supernatat oleum *Cinnamomi* clavum ad flavedinem verò inclinans, partim aquæ commixtum in fundo residet : his edestillatis mutato vas recipiens, & alio adhibito destillare perge tam diu, quam diu aliquid olei egredi sentias, quod tamen intra paucas finitur horas.

Hac ultimo egressa aqua agitando peroptime recipulum elue, & priori adde, in capaci vitro, tunc agita, sed leniter vitrum, quo supernatans oleum descendat ad fundum, post benè clausum vitrum in loco frigido repone, per dies aliquot, intra quod aqua fit clarior, & plus olei descendit. Hoc facto aquam leniter decanta, donec oleum cum aliquot cochlearibus aquæ præter propter remaneat, cui adde *aquæ fontanae sale sufficienter*

cicenter impragnata, & per chartam filtrata ℥. j. tunc supernabit oleum, ut ad modum aliorum oleorum faciliè separari possit.

Maxima hîc opus est diligentia, ut omne oleum colligatur, nec vitro plurimum adhærescat & perdatur.

Hac methodo ex ℥. iiij. optimi Cinnamomi acquires olei purissimi ʒ. v. Si verò quid hæreat in vitro, poterit misceri cum saccharo Candi, & inde fieri *Eleosaccharum* pretiosum.

Aquam verò residuam cujus præterpropter tres erunt mensuræ vel ultra, *vesica parva* immitte, & *mensuram unam abstrabe*, ac aquam cinnamomi optimam nactus eris, hanc serva, reliquam verò quæ sequitur, serva pro vehiculis generosiorum propinandorum.

Hac etiam methodo genuinè reliqua destillantur aromata, videlicet *caryophyllor.* quorum ℥. j. plus dabit olei, quam Cinnamomi ℥. xij.

Alii prægressa prius maceratione, dierum aliquot spatio facta, oleum hoc destillant, qualem modum reliquit *I. F. Hoffmannus*, v. g.

℞. Cinnamomi optimi ℥. j. crassiuscule confracto adde *aquæ* mensuras iij. in quibus *aliquid sacchari* solutum est, hæc per dies aliquod in digestionem relicta, destilla, destillatam aquam reafunde recentis cinnamomi ℥. j. relinque cum brodio primæ destillationis relicto rursus in digestionem, destilla, & nancisceris non solum aquam Cinnamomi elegantissimam, sed oleum item copiosissimum. Labor hic continuandus est decem vel duodecim libris cinnamomi, destillatio verò per vesicam instituaturs cum suo alembico stanneo probè munito. *Ex fecibus in cineres redactis s. a. sal eliciatur.*

Magisterium fit extractione cum spir. vini rectificato, quæ cum aquâ fontanâ præcipitata vel cum aquâ cinnamomi viliori præcipitatione parata Medicinam suppeditat pretiosam, cujus locum *Eleosaccharum supplet*, quod semper recens paratum esto, cum aliàs ab aère alteretur quam diligenter etiam asservetur.

Vires olei aquâ fortiores existunt, ut magis concentratis constantis

stantis particulis, eundem verò cum aqua effectum obtinens, at dosi unius vel alterius guttulæ saltem.

Si guttulam unam vel alteram ore parturientis detentam *partum accelerare* *Poppius* affirmat.

Oris item factorem efficaciter emendare, in ore detentam ejus unam sæpius guttulam, *Platerus* in praxi habet.

Cum oleo *myrrhæ mixtum*, & partibus genitalibus applicatum, *factum pellere* dicitur.

Hoc porrò oleum ad guttulas iij. cum aquâ *Cinamomi propinatum* tremoribus, convulsionibusque singulariter convenire *Kunrath* observavit: propter enim particulas celeriori Solis motu exaltatas & dulcificatas Acidum optimè infringit, cui tales nervorum insultus ortum sæpius debent. Sic in lingua tremore & ejus paralyfi, una vel altera guttula plumaceolo applicatur.

Dosis est à guttulis j. ij. ad v.

SAL VOLATILE CINAMOMI &c.

Ut verò aromatica talia olea rigiditate sua liberentur, & subitæ sint ac citissimè penetrationis, monuit *van Helmont*, ut in sal volatile redigantur, ubi de *Febribus* cap. 15. n. 7. inquit: Si oleum Cinamomi, garyophyllorum, lavendulæ, &c. noveris transmutare in sal volatile, nactus eris medicamen temperatum efficiens quantum de istis simplicibus sperari potest, in veteri Vertigine, Palpitatione, Apoplexia & similibus, modum vero reticuit *van Helmont* quem *Alcali* absolvendum communicamus, v. g.

℞. Spiritus vini rectificatiss. ℥b. ij.
Salis Tartari purissimi. ℥iij.

Ms. & destilla: spiritui edestillato tantum admisce olei Cinamomi, vel alius aromatici, quantum haurire poterit, tunc spiritum salis armoniaci rectificatum cum temperamento adde: misce & serva curiosè.

In Epilepsia, Apoplexia, Convulsionibus, Acido rectificando venis hostili, & spiritibus dulcificandis ac confortandis admirandæ virtutis.

Dosis

Dosis est gutt. x. xx. & ultra cum *julepo Cinnamomi*, ex aqua ejusdem cum saccharo ad ignem leniter coctis parato, convenienter adhibita.

Sunt qui in nobili hoc destillando oleo *amygdalas vel alia adjiciunt oleosa subjecta*, ut inde majorem olei acquirant copiam, at fraudem committunt, quæ detegitur, si una vel altera guttula vino immissa fundum non petit, nam quod verum est deorsum tendit, quamprimum infunditur vino.

Sequitur pretiosum alterum Aroma.

NUX MOSCHATA.

Hæc vera *Nucis Indica*, medulla, inclusa est cortici duro, qui cortex iterum tenuiori obductus est involucro, eoque flavescente rubeo, seu floribus macis, quæ omnia contenta exterius carnosio sed crasso obteguntur putamine, quod maturum dehiscit, ut in juglandibus nostris conspiciamus. Eligenda verò est recens, pinguis, gravis, quæ acu compuncta oleum emittit.

Constat ex particulis salinis, oleosis, multò crassioribus in genere quam Cinnamomum, quibus copiose particulæ terreæ continuo Solismotu implicatæ & combinatæ deprehenduntur, unde adstringit, & spirituum diffluxum restinguit, eisque robur addit, & archæum pacat.

In hunc finem ex ea paramus aquam, separamus oleum & pro lubitu sal, v. g.

Si Aquam velimus nobilem :

℞. *Nucis moschat.* ℥. j. grosse contusis adde
Succi vel vini cydonior. ℥. iiij. vel v. cum
Medulla panis albi. q. s. misce.

& ex MB. destilla.

Vel ℞. *Nucis moschat.* crasse contract. ℥. j.
Aqua cydonior.
plantag. ana. ℥. iiij

Destilla per vesicam artificialiter, & oleum separetur ab aqua, quæ, si lubet, rectificetur.

Vires insignes sunt in vomitu, alvi profluviis, stomachi debilitate, obscuracione visus, nimio mensium fluxu, &c.

Dosis est à cochl. ß. ad j. mane & vesperi.

Si oleum arrideat :

Sume N. M. *optimè ponderos.* quantum placuerit, grossè confusa *simplici & sola aqua* s. q. *addita destilla ex vesica*, & ex tñ. j. *olei clari albi*, spiritus therebintinæ instar aquæ innatantis ℥vj. habebis: *remanente in vesica crassiori*, quod expressione vulgò aliàs parari consuevit, innatante, hoc refrigeratis omnibus cochleari auferatur, & si quid de nucis moschatae fragmentis commixtum sit, liquefiat rursus in olla vitreata vel cacabo, & coletur per pannum. Vel cum adhuc omnia calent, filtro infunde, ut crassiores relinquuntur contentæ partes, & liquida transeant, ubi post refrigerationem oleum innatans purum auferre poteris.

In hunc modum *ex pipere, cardamomis, cubebis, macis*, & aliis aromaticis quæ subtilius secum vehunt *oleum, destillatur.*

Vires olei destillati, ceu subtilissimarum partium à terreis magis liberatarum magnæ sunt, in *Apoplexia, spasms*, &c. Si enim in aquâ Cinnamomi aut alia Apoplectica dissolvatur, & ori, *naribus & auribus Apoplectici instilletur*, eum *revocat*, quem eundem effectum expressum etiam oleum, spir. vini solutum tanquam singulare secretum præstare *Mercatus* proficetur.

Aliàs *expressum* convenit in *omni alvi fluxu*, ex stomachi debilitate, *torminibus infantum*, internè & externè, in *stranguria* cum spir. vini *est infallibile secretum*, ut & in *abortu* præcavendo *cum melle sæpius propinatum*, ut habet *Mæbius in Instit. de Diæta gravidarum*, sic & in omni mensium fluxu, &c.

Externè insignes obtinere vires, experientia comprobatum habemus, ut in conciliando somno, *confortanda memoria*, si derasis capillis, vertici & temporibus illinatur: In torminibus item ventris, *umbilico illitum.*

Est insuper *balsamorum* principalissima *basis* expressum oleum, cui reliqua addunt symbolum, v. g. in præcavenda Apoplexia, absumendis catarrhis, vertigine &c. tale combinetur balsamum:

℞. *Olei N. M. destillati.*

macis dest. ana. ℥j.

ligni rhod. ℥j. ℞.

garyophyll. gutt. v.

succini.

ruta.

citri. ana. ℥℞.

moschi gr. viij.

N. M. express. q. s. pro balsami consistentia.

Parant etiam alii ex oleo N. M. expresso *Magisterium* v. g. superfundunt spir. vini rectificatiss. & repetitis vicibus omnem extrahunt colorem, ita ut oleum fixum, & instar nivis album, restet, quod ne rubescat, & lenissimo calore exsiccant. Usus potissimus est ut suppeditet *nobile balsamorum corpus*, inprimis ubi cum spir. vini Tartarificato, extractio facta est.

Jam ad ea quæ Aromaticis adnumerari meritò debent pergimus v. g. *Citri, Arantiarum* &c. *cortices*, qui ex Acido, Solis æstu, & inde celeriori motu enato, oleum nacti sunt admodum pretiosum; quod ita separabis, v. g.

OLEUM CORTICUM CITRI &c.

℞. *Pomorum citri* recent. optimè odorat. & integrot. ac maturor. num. 100. *flavos rescinde cortices* & minutim conscissos, vesicæ inde, cum s. q. *aqua fontana*, juncturisque bene clausis, & observato refrigeratorio, ac appposito recipiente, destillationem institue, *absque prævia maceratione*, & intra 4. vel 5. horas omne egredietur oleum, clarum & crystallinum, quod separamus. Ex centum citri pomis mediæ magnitudinis, sapius habemus 3x. vel xij. puri olei, quod in vitris angusti colli probè obturatis fervetur in loco frigido, & durabit viribus integrum, aliquot annis.

Nonnulli *ex fermentatis*, vel leviter putrefactis oleum destillant *corticibus*, sed *acquirunt oleum ingratum*, & à citro naturali plane alienum, quod temporis tractu olei therebintinæ ad instar olet. Præstat ideo unica, ex recentissimis corticibus, & legitime destillati olei guttula, plus, & magis efficit, tum in odore, tum operatione, quam decem guttæ olei ex corticibus fermentatis destillatione extracti.

Oleum, cum ex Acido concretum sit, & hinc particulas obtinuerit vi concentrandi imbutas, *resicit spiritus vitales dissipatos*, *concentrat flatus*, hinc in *colica flatulenta*, stomacho vaporibus infestato optimè conducit.

Pomum integrum comestum, maximam obtinet vim alexipharmacam, in *viperarum morsu*, aliisque venenis imbibitis.

Pulpa acida, in febribus malignis, & aliis, à spiritibus solutis & efferatis, ortum trahentibus, efficaciter exhibetur, *acrimoniam enim salis effervescentis volatilis, restinguit*, & *spiritibus solutis concentrandis succurrit*.

Semen in Emulsionibus propinatur pueris verminantibus, febribus item malignis &c.

Dosis olei ut plurimum est ad gutt. vj. & ultra, prout vel fortius vel vilius existit. Potissimum tamen in *Elaosaccharo* propinatur, ubi ad sacchari ℥j. olei ℥j. vel ℥ss. sumimus. De hoc datur tantum, quantum cultelli cuspis capit pro dosi, cum jusculo vel alio intentioni accommodato vehiculo.

Si *vinum citratum* expetis, vitro vini pleno immitte *Elaosacchari* hujus ℥ss. vel donec palato arrideat.

CAPUT II.

RADICES-RESOLVIT.

Quamprimum terræ concreditum est semen, cujus *fores pulsant radii Solares*, & contrariæ indolis particulas secernunt ut pugnatum

gnatim edant certamina, & diffidiis exercentur crebris, quo quæ brevibus nexantur spatiis, ab ictu Solis resultent. Sed cum omnis scaturigo aliunde foveri debeat, nutritivas, quas ipsum non habet, è terrâ elicit semen; quod cœlestem nactum solum, cum comitibus particulis colluctatur, ac terræ operculum submovet, ut Solis propinquiore contactu, & aëris vegetante fruatur sale, pro quorum copia & robore maturius, aut serius, plantæ auferunt: hunc in finem sæpius *delicatiores plantas, tentoriolis vitreis, radios Solis reflectentes, obtegimus*, ne eorum laxiores pori frigore constipentur.

Primò *radicem fingunt activa, & febris arctioribus connectunt*, quo plantæ sal se intimius irretiat, aquâ tunc minus diluendus, hinc crassiores nutritii succi, & diversæ materiæ partes semper insunt, subtilioribus particulis fastigia petentibus, ubi per compactissimas fibras magis rectificantur: hinc semen efficacissima plantæ energia doratum, oleo, ex salibus per longissimam commixtionem & circulationem solarium radiorum, abundat, magis quam radix.

Jam si particulas, accretionis authores, dignoscere cupiamus, ignis anatomia subijciamus singulas plantæ partes.

Ex radicibus semper efficaciorum, quam ex trunco substantiam ignis ope elicimus, ex cortice vero & fastigiis subtiliorem. In radicibus consideranda nobis veniunt diversæ materiæ partes utpote aqua, oleum, sal, Extractum, resinæ &c.

DESTILLATIO RADICUM &c. in AQUAM.

Si aquas radicum velimus genuinas, imprimis *si succulenta sint, succum expressum distillationi subijcimus*, & si sit ex refrigerantibus, *per arenam humidam aquam extrahimus*, quæ enim refrigerare debent aquæ, moderato calore distillati necesse habent.

Si vero *radices sicciore sint*, nec succo abundantes, vel odorata, vel non, his incisis *superfunditur aqua fervens*, quantum sufficit pro humectatione, ut pulvem referant, tum stent in olla donec refrigerent, post, *expressus succus per vesicam distillatur*.

Si verò tantum non lubeat impendere laborum, *herba saltem concisa vesicæ immittitur, & tantum aquæ superfunditur*, ut herba ebulliendo non aduratur, ac s. a. destillatio instituitur, donec aqua odorem & saporem herbæ non amplius secum ferat. Si verò *aqua egressa*, viribus magnis haud imbuta suspicetur, *recenti superfundatur herbæ incisa*, & repetatur opus, donec aquam viribus volatilibus, vel radicis, vel herbæ, imbutam deprehendas satis.

Non autem pro more Pharmacopœis usitato simpliciter destillandæ sunt aquæ; Hi in genere herbis magnam superaffundunt aquæ fontanæ copiam, & destillant donec magnam aquæ copiam nanciscuntur, quas tum simplices vocant, sed revera sunt simplices: quia præter aquam fontanam nil secum vehunt, unde non mirum sæpiuscula homines defraudari, non tantum de pecunia, sed & talsacro omnium pretiosissimo, sanitate ipsa.

OLEA EX RADICIBUS DESTILLARE.

Si oleum ex radice separandum veniat; *sume radicem siccata, contusam grossè inde vesicæ cum sufficienti aqua quantitate, & destillationem persequere tam diu, perque dies aliquot, donec omne oleum sentias prolectum: Aquam decedentem semper refarcias vel recenti vel prius egressa, oleo separato, aquâ. Ita fit oleum Angelicæ, Carlinæ, Gentianæ, Imperatoricæ & similibus, quæ ob arctiores fibrillas, denegato hinc superfluo & nimio humido, olei sufficientem copiam implicatam obtinent.*

EXTRACTA RADICUM.

Si Extracta ut vocamus Radicum expetimus, quæ ex diversæ materiæ, terræ, salis, olei scil. particulis constant, accipimus *Radicem* vel *Angelicæ, Valerianæ, calam. aromat. Carlinæ &c.* Incisam radicem minutim, immittimus *cucurbitæ, & ad uncias duas radicis addimus duodecim, aquæ, vel fontanæ vel ex ipsa radice destillatæ, uncias, cum spiritus vini uncias quatuor.* Atque in cucurbitâ probè clausâ mace-

ramus, spatio viginti quatuor horarum, balneo impositâ, postea *expressum succum ad siccitatem radicum* per subsidentiam depuramus, ut tum filtrari probè possit: liquorem hunc *filtratum destillamus ex M. B.* donec tres liquoris partes egressæ sunt, quem ad alias radices extrahendas, vel alii usui asservamus, quia quasdam radices vires yehit. Tunc *succum remanentem* exime, vitro vaporatorio immette, & *lento igne ad justam inspissa consistentiam.*

Hac methodo ex omnibus radicibus, ac aliis subjectis aromaticis, fiunt Extracta. Quæ verò ut legitimè fiant, sequentia veniunt observanda:

1. *Ut M. Balnei calor in abstrahenda aqua, seu humiditate, sit temperatus, quò vitrum sine adustione tangi possit, principaliter cum succus crassescit, ne tunc calore fortiori adhibito adustionem empyreumaticam contrahat Extractum.*

2. *Quando succus crassescere incipit, ac cuticulam nanciscitur, per quam humiditas evaporanda impeditur spatula lignea, crebrò agitur, & quod parietibus vitri adhærescit, cum reliqua commisceatur massa. Quæ, cum ad consistentiam debitam redacta est, vitris ficcis indatur, & loco sicco cautè servetur.*

Spiritus vini additur aquæ, ut tam salinæ quam resinosa extrahantur partes, & prout subjectum vel plus vel minus resinosum, spiritus vini dosis, vel augenda vel minuenda erit.

3. *Cum præcavere haud possimus, quin subtilissimæ & volatiliores avolent particulae salinæ, hincillæ restitui debent v. g. Si ex Cinnamomo, citri corticibus, roremarino, majorana, saffras &c. Extractum extet, accipe sacchari candi tantum, quantum est duodecima Extracti pars, huic adde olei ex eadem radice destillati q. s. pro Elæosaccharo, & hoc Extracto commisce, ac restituetur ablatum.*

Vires cum radicibus concordant, nisi quod hîc concentratæ, & Dj. plus earum obtineat, quam radice una, vel binæ sæpius.

Exhibentur convenientissimè in rotulis, & Morfellis. v. g.

Rx. Saccha-

R. Sacchari albi ℥vj. aquâ Angelic. vel Melissa soluto & ad consistentiam manus Christi inspissato, adde

Extracti Angelica subtil. pulv. ℥j. β.

Carlina ℥ij.

Olei eorundem ana. gutt. v.

Ms. f. Morfelli qui sunt bezoardici, alexipharmaci, & ab aëre maligno insigniter præservant.

FECULÆ RADICUM.

Præter hæc ex radicibus parari solet farinaceus pulvis fecularum nomine insignitus, cum fecum instar ad fundum descendat: Hæ ob censuram *Zwölfferi* severam, vilius habitæ hactenus fuere, tanquam pulvis viribus orbatus, sunt verò alii qui non penitus è foro Medico eliminandas censent, cum sint aliud quam subtilissimus pulvis, à crassioribus separatus particulis, ex hac causâ inventæ, ut palato magis arrideant, nec tanta copia, vel majori dosi offerri necesse habeant, parantur hunc in modum:

Primo statim vere, uti *Martio*, *Aprili*, quamprimum folia egrediuntur, ut cognosci saltem queant, collige fodiendo radicem sufficientem quantitatem, quæ à terra mundentur, & ab exteriori cortice separentur.

Post in mortario lapideo contusis tantum affundatur aqua, ut pulviculam quasi referant, hæc linco immissa sacculo fortiter exprimatutur ut exeat lacti similis liquor: qui in olla rectâ reponatur per dies aliquot, donec fecula ad fundum sedeat, tunc decantatâ aquâ, fecula cum spatula lignea exempta, in loco sicco, sed umbroso extendatur ut siccescat.

Alii absque aqua addita, contundunt radices, & ex succo expresso, per subsidentiam feculas colligunt.

Conducunt in affectibus, ad quos radix ipsa laudatur.

Dosis est à ℥j. ad ℥β. & ultra.

CAPUT III.

DE TRUNCO SIVE ARBORE.

Radicem truncus sequitur, hic densioribus, sed laxioribus, patentioribusque constat poris, unde tam potens minimè obtinet sal quam cortex, cui ceu spongiosiori copiosius communicatur, & ut plurimum volatile, trunco verò firmitatis causa fixius: huic verò in specie trunco plus, alteri minus virium ductoris voluntate concessum est. Cum verò particulæ omnes ferè in oleum & sal obriuerint, ignis ope ea separanda erunt. Sic ex trunco destillamus spiritum, oleum, sal, &c. v. g.

SPIRITUS & OLEUM LIGNORUM.

℞. Ligni vel Quajaci, Buxi, Aloes, Ebeni, Santali vel quodcunque libuerit, minutim conscissum retorta immitte, ad collum replendo, ne vacuo concesso, materiaque calore extensa, vitrum patiatu naufragium, repletam ligno retortam cupella impone arenaria, & recipiente adhibito, igneque gradatim admoto, destilla leniter donec phlegmate egresso, spiritus cum plus liberiori prodire incipiat oleo, quo viso ignem intendere poteris, donec nil amplius exeat. Tunc refrigeratis omnibus separa spiritum cum phlegmate, & oleum, quod si à fœtore empyreumatico liberare cupias, misce cum sabulo puro, & de novo ex retorta per arenam, lenissimo semper igne, rectificato, donec leni calore subtilius oleum edestillatum sentias, crassiori cum sabulo relicto, quod remove.

Vel si subtilius adhuc expetis oleum, sume ejus partem unam, aquæ fontane partes duodecim, & ex cucurbita per Balneum destilla, ut cum aqua subtilius saltem ascendat oleum, relicto crassiori in fundo.

Vel ex vesica cum refrigeratorio destilla, ac citius rem perficies, præprimis si majorem olei copiam rectificare animus sit.

Remanentes in retorta carbones, in cineres redigi possunt, & ex eis sal separari.

Jam dantur ligna, quæ præter oleum, volatili sale infarciuntur, ut optimè odorata, *Lignum Rhodium, Cypressum, Sassafras, &c.* hæc aliter tractanda: pro exemplo:

OLEUM LIGNI RHODII.

℞, *Ligni Rhodii* ℥. x. vel xx. prout libuerit, divide per medium, & inodoram albam partem ligni separa, flavam verò optimè odoratam *minutim scobinatam* vesicæ immitte cum *sufficienti aqua quantitate*, additis *salis* tribus vel quatuor manipulis, ac subito *destillationem institue*, & prodibit oleum subtile & clarum quod semper separa; *aquam* verò *reaffunde rursus* & destilla tam diu, semper *reaffundendo* aquam egressam separato oleo, donec nil olei amplius exeat, quod *intra tres vel quatuor sæpè dies* cessat; oleum verò primo die egressum subtilissimum: ut & odore suavissimum deprehenditur: reliquum etsi in copia majori egrediatur, vilius tamen est, & admodum tenax ac inodorum, quod lucri causa, subtiliori miscent destillatores, unde est, quod rarò purum inveniatur hoc oleum. Quod si *suavitatem perdat*, ei restituitur guttulis aliquot vel *cinnamomi* vel *garyophyllorum*.

In destillatione *sassafras*, & *cypresse*, multi non adjiciunt sal.

In destillatione *Ligni per retortam*, *Liquor* egreditur; qui ex cucurbita per arenam lenissimè rectificetur, & exit primo phlegma, postea *spiritus acidus*, quem seorsim excipe, in *Febribus malignis*, *insignium virium*, propterque acidas volatiles particulas, *Diaphoreticum eximium* suppeditans. Dos. ℥ss. ad ℥j. cum aq. card. bened. vel alia.

Porrò ex quibusdam paramus *Lignis duplicem Essentiam*, sive *Extractum, Resinosum, & salinum*, v. g.

RESINA LIGNI QUAJACI.

Si ex *Quajaco resinosum* velimus, sume hujus ligni nigri *resinosi raspati* q. v. affunde *spir. vini Tartarisati*, q. s. macerentur in B. donec spiritus sit probè tinctus, & *Essentia saturatus*, tunc *ad mellaginem abstrahere*, & remanet *Extractum* sapore & odore ligni fatis impregnatum.

Si salinum desideres, Resp. Ligni raspati lb. iij. coque in vesica cum aqua fontana mensuris vj. claua tamen vesicâ cum suo alembico, & refrigeratorio munitâ, recipuloque apposito, horis 24. liquorem egredientem semper reaffundendo. Hoc decoctum ovi albumine clarificatum ad mellis formam inspissa.

Hæc Essentia liquore aquoso solvitur facilius, quam resinosa, unde optimè cum jusculis, cerevisia, destillatis aquis, pro intentione Medici exhibetur, sed dosi optimè mensuratâ, propter salinas acriores particulas.

Si spirituosum simul & aquosum affundas menstruum, utrumque & resinofum, & salinum nactus eris Extractum.

CAPUT VI.

Foliorum & herbarum constitutiva docet.

HÆc pro fibrarum, & in fibris pororum coarctatione, vel dilatione, vires vel fortes, vel dissolutas magis obtinent, unde & *in quibusdam plantis salia & copia & robore antecellunt*, è contra in aliis. Sic quæ poris præditæ sunt arctioribus, *aqua copiosiori præcludunt aditum, quæ si abundantior irruat, salia nimium solvendo, plantarum debilitat vires*: conspicimus hoc in eis quæ frigide vulgo vocantur, hæ copiosam aquam, rorem efficaciâ vix prævalentem, promunt, per aquam igitur nimia diluitu, salinæ conspicuitatis hostis est: quo plures itaque ac subtiliores plantarum fibrillæ, eo copiosiora ac volatiliora salia obtinent, unde pro horum quantitate, vel plus vel minus calida existit herba.

Virtutibus hisce delineandis non aptior datur via ac per ignem, hic nobis constitutiva plantarum primordia, ut phlegma, spiritum, sal, olem &c. ob oculos ponit, inter quæ unicum *sal pro copia & robore viribus conspicuum est*: nec enim oleum afficit linguam nisi salinæ in eo obriguerint particulæ, cum hoc ex illis oriatur.

Sed hic ad ignotum specifica virtutis asylum tamdiu confugiendum erit, donec conspicua reddantur harum particularum, variata figura & compositiones: insudandum itaque sedulo hic esset, ut omne herbarum sal ad genuinum redigeretur schema, quod tamen in uno, quam alio facilius perficietur; siquidem qua sale turgent, facilemque spirituum secessum, & accessum patiuntur, figuris magis conspicuis donantur.

DESTILLATIO HERBARUM in AQUAM.

Primò separanda adstat aqua, hæc si ex vulgò frigidis, utpote postea salis quantitate constantibus separari debeat, procedimus hoc modo: pro exemplo sit *Endivia, nasturt. aquar. cichoreum &c.* Ex his *contusis succus exprimatur, & depuretur* vel per subsidentiam, vel filtratione, si verò *viscosus* fuerit succus, ut *borraginis, buglosæ &c.* calefiat; atque tum *cucurbitis stanneis immissus, ex arenâ humidâ destilletur*, vel leniori, vel fortiori calore, prout vel refrigerare, aut magis, aut minus aqua debet, si enim fortiori pellatur igne, *ascendunt magis particule activæ, caloris sensu præditæ.*

Si verò herbæ sint calidiores, & aqua plus activis imprægnata expetatur particulis, nec verò herba succo abundet, ut *majorana, rosmarinus, lavendula, &c.* tum ollæ immissa, *fervente humidetur aqua pulcicle instar*, tumque repônatur olla, donec refrigerant, ac post *exprimatur succus*, ut remaneat herba exsucca; hunc *succum per vesicam destilla* primo leni post fortiori igne, donec succus leniter bulliat, & aqua ad filum spiritus vini instar egrediatur, continuando hunc caloris gradum, *donec dimidia succi pars egressa* judicetur, non vero fortior ignis adhibendus, quam qui requiritur *ut succus bulliat*, observato exacte refrigerio, ultimo vero caute ignem regendo, ne aqua adustionem empyreumaticam sapiat.

Vel si tantum laboris impendere haud velis, experimento succum, *saltem herbam conscissam vesica immitte, & supersusa aqua fontanâ destillationem institue*, & tantum aquæ abstrabe, quantum sentias sapore & odore plantæ imprægnatum, primo enim semper melior exiit, viliori sequente.

Si aquam desideres magis essentificatam, & particulis salinis volatilibus imprægnatam, hoc procedas modo: pro exemplo sit.

Aqua Veronica Essentificata.

℞. *Herba Veronica*. bonam quantitatem, *concisam vesica immitte ad dimidias*, superfusaque aqua s̄ q. herbam coque, post exprime, ac *expresso succo rursus recendem infunde herbam*, coque, & exprime, hocque reitera ter vel quater, quo plus eo melius: hunc ita paratum succum destilla ex cucurbita vitrea in arenam humidam posita, ac primò exit aqua vilior, quam remove, & cum flavescens incipiunt egredi guttæ, recipulum mutato, & alio appposito, ac firmiter adlutato, destillare perge, donec meliorem Essentificatæ aquæ partem egressam sentias, tunc cessa ac Essentiam serva.

Vires ob particulas salinas alcalifatas volatiliores insignes sunt, *purificat enim sanguinem, acidum infringit, urinam pellit, sudorem movet, obstructions aperit, ac putredini resistit &c.*

Hinc conducit *in Febris cum sale absynthii, conchis preparatis &c.* ad ℥ij. & ultra propinata.

In Phthisi, vel ab ulcere, vel ab acida pituita maximè conducit, expectorat, consolidat.

Hepatis & Lienis obstructions reserat, icterum sanat.

Renum obstructions aufert, dispositionem calculosam destruit, & expellit.

Sanguinis scorbutici acres particulas oblinat, deterit, ac ideò in erysipelate convenit.

Obstructions uteri reserat.

Anginam sanat pro gargarismo adhibita.

Vulneraria est interne propinata, & externè pro collutione applicata &c.

OLEA PLANTARUM DESTILLATA.

Si olea plantarum parari debeant v. g;

Si Mentha, Melisse, Salvia, Rutha, Absynthii, Majorana, Lavendula, Rorismarini, Thymii, Basiliconis, &c. Oleum desideretur:

℞. Herba unius vel alterius bonam quantitatem, cum semine, grosse concisam vesica immitte, & affusa aquae sufficiente quantitate, ut continuo bulliat, sed leniter, destilla, & repetitis vicibus, semper recenti herba destillationi commissa, colliges faciliter duas vel tres olei lotones, plus ex hac quam ex illa, sic ex foliis rorismarini siccatis, duæ vel tres possunt haberi olei drachmæ, ex aliis minus, prout vel arctiores ac subtiliores, vel magis patentes, à naturâ vel specificâ ac intrinsecâ formâ obtinuerunt fibrarum poros, & inde vel copiosiori vel pauciori sale imprægnata extant.

Si fixum sal expletis.

Sume herba bonam quantitatem, crassiori caule præditam, hanc combure loco aperto in cineres, ac in aheno ferreo, aqua sufficiente coquendo elixiria repetitis vicibus, donec omne sal ex cineribus extractum sentias. Hoc facto omne lixium celeri igne decoque ut remaneat sal, quod repetitis solutionibus & filtraturis aliquoties purifica, & habebis verum & genuinum plantæ fixum sal, at in multo minori dosi quam si cum sulfure calcinatio facta sit, quo conjuncto elegantiores & abundantiores nancisceris crystallos, at multo à priori & genuino differentes, hac enim additione convertitur Alkali in muraticum, viribus genuinis hac alteratione orbatum, & acido saturatum, quod ceu Alcalinum, imminuere in corpore debebat acidum errans, jam verò hoc saturarum genuinis facultatibus orbatum restat, Vacuum igitur esse debet, si pro intentione acidum superfluum & errans sibi associare debet.

Ex hoc est quod omnia Alcalia unius sint speciei, nec differant nisi vel volatilitate vel fixitate, vel copiæ ratione, in hoc vel illo subjecto: sic arbores qui per hyssem viridantes gerunt comas, qua volatilem hospitem arctioribus poris constiparunt, copiosius & efficacius promunt sal, imprimis si virides calcinentur: sic videmus

lotrices lignorum viridum cineres arefactorum cineribus antepone, cum fortius ex illis lixivium parent. Prout jam inter viridia compactissima, ita inter arida, quæ à putredine longius distant, plurimum largiuntur salis; per putrefactionem etenim exhalant sponte, cuæ alias fortioribus flammis quantis per fixari potuerint volatiliores particulae.

Non igitur sibi persuadeant Medici, *Alcalia plantarum viribus ad amissim esse amula*, dum *sal absynthii in ventriculi affectibus, euphrasia verò &c. in imbecillitate visus, stipiti fabarum in nephritide præscribunt*, sed omne hoc diversæ concretorum crasi, vel volatilitati vel fixitati adscribunt, & hinc pro majori, vel minori volatilitate, vel fixitate, variantibus pororum dispositionibus:

Alcalia etenim volatilia longe fixis præstant, cum & Acido absorbendo, & ejus spiculis obtundendis, plus conveniant, sicuti nobis volatilium effectus sufficienter commonstrant.

Hinc tanto levamine *arthriticis, Hypochondriacis &c. sal volatile C. C. viperar. spir. salis armoniaci &c. propinantur*, quia cum his expeditius, intimiusque, acutiores Acidi copulantur particulae, quam cum fixioribus, quæ semper terrestretatis quid, etsi sæpius calcinata & purificata sint, combinata continent, nec appropriatos etiam obtinent poros propter Acidum ex igne jam haustum.

Cum itaque volatilia majoris sint fixioribus efficaciam, & energiam, hinc laudem merentur illi, qui loco salis fixi, *volatile ex plantis per fermentationem parare docuerunt*, quo major salinarum particularum copia, soluto nexu, disponatur, ut loco salis fixi, olei &c. volatile nobis reddant sal. Excellit in hoc nobiliss. *Wedelius*, qui singularem de his edidit tractatulum, ex quo methodum huc transferamus, & quomodo eliciatur.

Ex plantis sal volatile videbimus.

Æstatis medio, seu calidiori tempore, bonam planta quantitatem, quam volueris recipe, separa inde folia, & seorsim caules, stipitesque abjice. Hinc eadem vasi firmo indas bene claude, & reponet donec

donec omnimodè fermententur, & putrescant, atque in pultis formam redigantur, quod in quibusdam tardius, in aliis citius fit. Hoc facto massam destilla, igne primum mediocri, & exit aqua, qualis ex plantis elicitur ordinariè, hinc spiritus, & sal volatile succedunt, & circa finem oleum crassum, nigrum, & fœtidum exit, quod cum sale volatili jungendum, sæpiusque ab eo rectificandum, quo olei major pars in sal volatile faceffat.

Circa hanc fermentationem, vel putrefactionem notandum venit.

1. Dum hæc inchoatur, *valde incalescit herba*, præprimis circa medietatem seu centrum, hicque calor tam fortis est, ut impositam manum lædere soleat.

2. *Posthæc corruptio incipit*, vel putrefactio, omnes plantarum naturales qualitates immutans, non solum sensibiles, sed & específicas: adeo ut

3. Planta bonum gratumque odorem exhalans, *fœtida corruptaque evadat*, æque ac alia, cui hæ qualitates, vel qualia non insunt, atque fœteat, ut odor æque intolerabilis vix alius detur. Sed fœtor hic non multum durat, sed omnino disparet, simul ac planta destillationi subjicitur.

4. *Planta humiditate & pinguedine pollentes, duplo citius quam magis sicca, aromaticæ, & tenere putrescunt.*

5. Putrefactione durante, interdum in medio vasis, licet nullus eo patuerit aditus ab extra, *magna vermium, muscarum, aliorumque insectorum quantitas fuit reperta*, quæ verè ex putrefactione orta sunt.

6. *Vermes hi sal volatile non largiebantur*, verum alium ab hoc diversum liquorem.

7. In hanc plantarum destillatione primo apparet aqua ascendens, sub guttarum satis grossarum forma, congregaturque, & in recipiens cadunt: secundo, ascendentibus spiritibus, *sub nubium seu nubecularum specie illos evehi cernes, qui difficulter colliquantur, & strias habent diversificatas, ac intortas, quemadmodum in destillatione spiritus C. C. accidit: tertio denique oleum apparet fœtidissi-*

imum

rum, quod, cum volatiliores particulæ in sal volatile mutatae sint violentissimo, & summe aucto igne exit.

8. Nunquam aliud præter hoc oleum obtinui, perfecta putrefactione, quæ si perfecta non sit, exit oleum Essentiale, plantæ odorem adhuc referens.

9. Plantæ quæ olei Essentialis multum dant, plus olei foetidi emittunt, quam aliæ, & contra.

10. Inter spiritus & olea hæc, quædam sæpius ter, vel quater rectificari amant.

11. *Hoc sal volatile rectificatum, omnes salis urinosi qualitates habet, adeo ut inter ipsum, & sal volatile C. C. urine, vel salis armoniaci, nulla sit differentia: Omnes etiam effectus producens, quos hoc, ac Diaphoreticum, Diureticumque sit, Acidum sibi jungendo, cumque hoc muriaticum vel armoniacale æmulando.*

12. Quod magis est, hæc salia volatilia à se invicem neque quoad qualitates sensibiles, neque quoad effectus differunt.

13. Nullam destillavi plantam, quæ omnes has partes, de quibus modo dixi, non reddiderit.

14. *Post destillationem in vase se offert odor moschum fere redolens, qui nullo modo tolli potest, licet per annos aliquod aëri expositum fuerit vas.*

15. Caput mortuum nullum largitur sal fixum.

Hæc Wedelius. Ex quibus luculenter nostra defenditur assertio, salia in genere Alcalia præsertim vegetabilium non differre à se invicem, nisi vel fixitate, vel volatilitate, hancque plantam, aliâ vel volatilius, vel fixius, ex diversa concretionem obtinere Alkali: quippe quod in levitilia undique diffusum sit sal volatilius, indicat ejus ex celeri motu proceritas; & quid ni volatilius sal in chelidonia, ophthalmicum magis est, quod calcinatione non perit. Non enim calcinatio totalis est virium destructio, ut erroneè nonnulli volunt.

SAL ESSENTIALE PLANTARUM.

Porro parant alii ex plantis, inprimis acidis, substantiam, quam sal Essentiale vocant. Nil vero est aliud quam diversæ salis, & tam acidi, quam Alkali particulæ, aqua nimia dilutæ, nec firmiter hinc sibi implicatæ, quæ contusa herba, & succo separato, facile fundum petit, hæc ita paratur:

Sume *herba acetose vel acetosella succulenta viridis* q. l. sereno cœlo collectam *contunde in mortario lapideo*, & *succum exprime*, huic addè *albuminis ovorum* q. s. tum coque, donec feces ope albuminis separatæ conspiciantur, & spuma separata sit, ubi tunc coletur succus per manicam ut clarescat, hunc *clarificatum succum evapora ad dimidias*, & ad crySTALLISANDUM loco frigido committe, *vel ad consistentiam melleam inspissa*, & in Essentiam redige quod melius est.

Hæc ob acidas salinas particulas facilem bilis effervescentiam refrænât, ac hinc hepatis calidiori dispositioni conducere videtur.

C A P U T V.

Florum Anatome.

HI ultimum ferè *planta, & perfectum productum*, ex subtilissimis olei in sulfur concretis particulis constant, ubi latior earundem, per tenuiores lamellas, expansio, flores colorat; & quo compactiores eadem sulfureæ largiuntur particulæ, eo colorem implicant rubicundiorum, in flavum, subflavum, & albidum declinantem, pro particularum variata textura, & mixtura:

Quò enim *particula hæ sulfurea in minores distrahuntur partes*, tantò magis evanescit, & extinguitur color ejus, & contra, quando impetuosior sulfureorum agitatio & intimior mixtio colores intendit; velo-

T

cissimus

cissimus enim & adustioni similis motus nigredinem, imbecillior flavedinem, ex rubedine emergentes infert.

Sulfuris itaque appropriata particula sunt, quæ diversimodis extensionum, & contractionum formis subjacent, quibus interveniens luminis ictus, pro partium positura, colores variat.

Horum verò colorum differentias accuratè dimetiri, difficile est, nisi per figuratorum schematum situm demonstratur, utpotè maxime variantem; Non enim simili particularum positura componuntur delectabiles, quam qui non delectant colores.

Subtiliores florum particula salina in sulfur transmutata, variè ab artificibus separari consueverunt, vel absque pravia, vel nulla progressa fermentatione, verùm fermentatione liberata, majori & copia & subtilitate prædita exeunt. Simpliciorum prius dabimus methodum: pro exemplo nobis sint Rosæ, quæ duplicem nobis præbent aquam, vel refrigerantem, vel calefacientem. Si refrigerans plus expectatur.

Aqua Rosarum Refrigerans.

Destillatio instituat per B. arenæ humidum, moderato calore, cui intentioni *Rosæ albæ* melius adhibentur, ceu sulfure minus perfecto præditæ, minusque ideò calidi sensum inducentes, inprimis si leni admodum Balnei calore destillata fuerint, ubi ros saltem vegetabilis, activis particulis minus saturatus prodierit.

Si vero Rosarum aqua maxime desideretur odorata, & activis particulis maxime imprægnata ac spirituosior, destillatio per vesicam instituitur, adjectâ tamen aquâ, ne hic adurantur flores, cum fortior in his requiratur calor, ac in eis per M. B. destillandis, ut active expeditius liberentur particula, quæ si leni calore pellantur, vel agrè ascendunt, vel aquâ decedente ultimò empyreumaticum imprimunt odorem. Destillatio itaque hunc in modum fiat:

AQUA ROSARUM CALEFACIENS.

Rccipe rosarum optimè odoratar. vel recentium vel salitarum, mensuras quatuor, vesicæ inditis super affundæ aquæ fontanæ mensuras sex,

lex, & destilla, refrigeratorio optimè observato, ut quarta saltem liquoris pars excipiat seorsim, reliqua verò quæ sequitur, ceu vilior, recentibus rosis reafundi potest, atque ita exaltari in nobiliorem rosarum aquam, semper tamen primò egredientem quartam excipiendo partem, quam si ultrò super recentes rectifices rosas, efficacissima, & maximè spirituosâ evadet.

ROSARUM CONSERVATIO.

Cum sæpè major rosarum suppetat quantitas, quam commodè, eo quo proveniunt tempore, destillari potest, inventus est modus quo diutius assevantur rosæ, ut postea tempore plus convenienti in aquam destillari queant: hoc verò ita fit: Sumitur rosarum sufficiens quantitas, rosæ sale insperguntur, miscentur & doliolo vel olla induntur magna vitreata, vel cucurbitis vitreis, & fortiter comprimuntur, atque hoc modo vasculum repletur, quod tum loco frigido assevatur, salis tantum additur quantum pro conservatione sufficere videtur.

Hæc de aquis absque prægressa fermentatione destillandis: sequitur earum destillatio, prægressa levi digestionem paulò aliter instituenda. v. g. pro exemplo nobis sit.

Aqua florum sambuci spirituosâ, per Fermentationem.

Resp. *Florum sambuci* recenter à caulibus mundat. q. l. imple eis cucurbitis aliquot vitreas, fortiter eisdem, & quoad possibile, comprimendo, tum cucurbitas claude alembicis cæcis, ne quid respiret (hoc item opus in stanneis potest institui cucurbitis:) Hæc ita repleta floribus cucurbita, balneo imposita, mediocriter calidæ, ut manum ferat, per tres dies semper equali digerantur calore, donec flores sua propria humiditate resoluti conspiciuntur, & in pulvem quasi abierunt: tum exprime ex eis succum, & destilla per vesicam, donec tertia pars egressa judicetur, & nactus eris aquam admodum nobilem, in *Hydrope*, *Erysipelate*, *Febribus malignis*, *variolis* & aliis per diaphoresin discutiendis, maximæ efficacix & virtutis.

Sic ex floribus Tunicae sive caryophylli hortensis, tali modo elegans destillatur aqua odorata, exempl. gr.

AQUA FLORUM TUNICÆ.

℞. *Florum caryophyllorum suavissimi odoris recent.* ℥ iij. concisa minutim immitte cucurbitæ vel vitreæ, vel itanneæ, & superaffunde aqua rosarum refriger. & per balneum destillatæ ℥ iij. clauso vase, cum superposito alembico cæco, digerantur ut supra per 40. horas, tum digestam hanc massam ex vesica f. a. destilla, primam tertiam saltem excipiendo aquæ egredientis partem, refrigerio curiosè observato, & aquam nactus eris admodum pretiosam, cordialem cephalicam, in Apoplexia, Epilepsia, Convulsionibus, &c. insignioris usus.

Si omnino spiritiuosa desideretur florum aqua fermentatio compellanda, qua particulas ita disponit, & suo dissolvit nexu, ut in spiritum volatilem, pro phlegmatis mensura efficacem evehantur, omnem à volatili sale energiam nactum: exemplum nobis præbet.

Spiritus rosarum ardens.

Quia ita fit. Recipe rosarum optime odoratarum, sufficientem quantitatem, in lapideo mortario contusas, doliolo quercino immitte, ad sedecim circiter mensuras, tum in aq. rosar. mensura solve fermenti magnitudine nucis juglandis, & ferventem infunde, atque doliolum diligentissime claude ne aër penetret, inque loco calido repone, per 14. dies, tunc reclude vas, atque rosas in pulciculam conversas vesicæ immitte, & leni destilla igne, donec duæ circiter egressæ sint mensuræ; quas cucurbitæ vitreæ inditas ex M. B. rectifica, ut quarta saltem excipiat pars seorsim.

Aliis addito rosis saccharo, fermentatio instituta placet. v. g. ℞. Rosarum fragrantiss. tempore sicco collectarum, ac nondum penitus apertarum ℥ xxx. contunde minutim, & cum ℥ iij. sacchari candidi f. s. a. f. f. in olla vitreata obturata probè, atque ita stent in fermentatione per dies 14. dies præter propter, in loco calido, vel ad Solem, atque

atque cum Acidum spirant aut vinosum quid, affusa aqua rosata ex vesica destilla, egressamque aquam ut supra per vitrum ex M. B. rectificata, ut nanciscaris spiritum rosarum ardentem.

Citius fermentatio inchoatur, si aqua rosarum calefacta, ut in priori præparatione, ab initio in debita quantitate adjicitur.

Vires magnæ sunt, ubi spirituum vitalium refectione opus habemus, ut in animi deliquiis, virium diminutione, &c. ubi etiam externè pulsibus applicatus præstat.

SPIRITUS LILIORUM CONVALLIUM.

Porro spiritus vini ope volatiles activa eliciuntur particula ex floribus, hoc modo:

℞. Liliorum convalliam recent. à caulo mundat. ℥. xij. cucurbitæ inditis superaffunde mensuram unam & semis vini generosi Malvatici, vel aliud Moschatellini & generosioris genus, tumque compressa fortiter, stent per tres dies in loco frigido, tum immitte vesicæ, cum quinque cantharis aquæ fontanae, & destilla, ac unum & primò egredientem solum aquæ cantharum seorsim recipe, reliquamque viliozem alii usui asservans.

Vires sunt in specie cephalica, unde in Apoplexia, paralyti, epilepsia, & similibus cerebri affectibus maximo cum effectum propinatur hic nobilis spiritus.

DESTILLATIO PER DESCENSUM.

Hæc curiositas artificium adinvenit modum, quo hos & similes spiritus mediante spiritu vini per descensum destillant: pro exemplo:

℞. Lilior. convall. q. l. linteo mundo subtili indita, impone collo cucurbitæ vitreae, substrato in fundo cucurbitæ spiritu vini, tum alembico superposito, ex arena leviter destilla, atque ascendens spiritus floribus in superiori colli parte positus adhæret, ibique recolligitur ad fundum rursus descendens guttatim, atque ita quasi circulando Essentiam efficiens, modo noto.

Chymix Experimentalis

AQUARUM INSOLATIO.

De aquarum insolatione nota, eam non omnibus in genere convenire aquis, sed eis solum, quibus actrix non in magna copia insunt particule, ut hinc correptioni maximè subjecta extent, nisi solaribus adjuventur radiis: Si verò turbida ac mucilaginosa existat aqua, filtretur per arenam mundam: vel vitrum pulverisatum, atque tum solaribus exponatur radiis per æstatem ut fervetur.

OLEA FLORUM DESTILLANDI MODUS.

Hæc de aquis: sequuntur olea, quæ itidem vel cum, vel sine fermentatione, & infusione alia ab artificibus parari consueverunt, processus absque fermentatione in hunc instituat modum:

Sumitur bona florum vel liliorum convallium, vel arantiarum, vel citri, jasmini &c. quantitas, quæ vino generoso inspergitur, sicque mixta manet per noctem, postmodum additur aqua sufficiens quantitas, quo in ea natent flores, ac ita destillatur per vesicam leni & æquali semper calore, ut aqua continuatim leniter bulliat, & cum quarta fere pars aquæ egressa est, cessa, atque hanc per tres dies in loco frigido reponere, ut supernatet oleum separandum.

Atque hoc modo omnes flores suaviter odorati destillantur ut oleum genuinum præbeant: non verò opus est & necessarium, vinum addere, nisi aquam simul efficaciorẽ expetas.

Si qui verò sint flores qui tenaciter oleum nobis exhibeant, illi mediante fermentatione eò disponendi sunt, ut hoc leviter fundant. v.g.

Recipe liliorum convallium bonam quantitatem, in mortario lapideo confusa cucurbita immitte comprimendo fortiter, & in cellam reponere per quatuor menses, quo putrescant probè, tunc alembico superposito juncturis optimè clausis, ab initio leniter destilla, atque ascendit spiritus adinstar spiritus vini; post phlegma prodit, quod seorsim colligendum, ultimò remanet massa crassior, cui spiritum primò egressum reasfunde, atque clausa digerantur per aliquot dies, tum rursus abstrahe, rursusque reasfunde, huncque laborem tam diu reitera, donec oleum cum spiritu clarum, quod plerumque in

quinta

quinta destillatione fit, exeat, atque nactus eris oleum fragrantissimum. Hoc verò modo duplo plus acquiris olei, quam per vesicam, sicque optimè destillantur *rorismarini, caryophyllorum hortensium, jasmini, flor. citri, arant. &c. oleum*, ut *Agricola* habet.

Datur item modus, quo, addito oleo, ex floribus similes & aequales eliciuntur olei particule, pro exemplo habemus.

Chamomilla caruteum oleum. Per infusionem.

Quod ita fit. *R.* *Florum Chamomilla à stipitibus mundat.* quantum dimidia capit vesicæ pars, *affunde aquam*, ut tamen adhuc tertia vesicæ pars vacua remaneat, tum *calescant*, atque *affunde olei petrae albi* q. l. scilicet si vesica capiat viginti liquoris mensuras, tunc *℞. ℞. olei*, & ultra additur,) probè mixta ac alembico tecta, ita *stent in digestionem per tres dies absque tamen igne*, postea adhibito igne destilla, adhibito refrigeratorio, sed leniter, donec oleum exeat jucundè cœruleum, quod ab aquâ separandum & asservandum: si verò colore cœruleo non sat imprægnatum sit, recentibus superaffunde floribus, & laborum reitera, donec at rideat color.

Nonnulli loco olei petrae, *therebintina spiritum substituunt*, sed hic perdit colorem, quem illud tenacius servat, cum odore genuino.

Vires insignes sunt: emollit, penetrat, aperit, dolores lenit, confortat, calefacit: hinc catharrhos absorbet, dolores artuum pacat, odontalgiam curat, aurium dolorem sedat externè adhibitum. Internè nephriticum est & diureticum eximium.

Est hic alius modus Italæ usitatus, quo mediante infusione olea sua odorifera parare solent. v. g.

R. *Florum Jasmini recent. suaviter odorat. q. l. Amygd. dulc. excorticat. ac nonnihil ficut. ac contract. q. l.*

Cum his fiat *in cribro ligneo*, aut alio puro vase S. S. S. ultimò orbiculo ligneo superimposito paulum gravando.

Postero die ab amygdalis segregentur flores, novisque & recentibus floribus eadem stratificentur amygdala, aliquo ut prius pondere

dere non nihil gravando; *hic labor frequentius semper cum recentibus floribus reteratus*, tibi fragrantissimum largitur oleum, simplici altem & absque igne, expressione eliciendum.

Simili modo suavis odor elicietur *ex Arantiarum, citri, anths, rosarum floribus*, item *ex thymo* & similibus odore fragrantibus plantis aliis.

Præfertur hic a mygdalis oleum *Been officinarum*, si hoc *gossio exceptum* cum prædictis sepius *stratificetur floribus*, sufficienterque tum fragrantissimo imprægnatum odore è gossio exprimatur, qui modus durabiliora efficit olea, ut non facile rancorem contrahant, atque hic modus multis in secretis habetur.

SAL FLORUM VOLATILE.

Sic etiam flores sua exhibent salia, si datur illorum copia; volatilia verò cum fixis præstent, atque flores magis volatilibus, quam fixis constant particulis salinis in sulfur exaltatis, saltem ponamus modum qui volatilia separat disposita.

Sic *Rx. Florum anthos, jasmín, lilior. convall. &c. rore majali* imbuti, vitro impositi putrescant in cella, aliquot mensium spatio, & resolventur in liquorem acutissimi & fragrantissimi odoris, qui *ex re-torta destillatus* urinosum volatilem salinum fundet spiritum.

FLORUM TINCTURÆ.

Si florum Tincturæ & colores separata desiderentur, & à substantia reliqua extracta expetantur, ut pictoria arti inserviant, & aliis rebus colorandis:

Fiat *ex soda vitriariorum, vel sale Alkali, & calce viva* lixivium mediocriter potens, in hoc lixivio ad lentum ignem *recentes eique flores*, ut lixivium omnem florum extrahat colorem, cujus signum est, si flores extracti albicantes & decolores, & è contra lixivium instar elegantis tincturæ appareat: tunc exemptis floribus, foco ad bulliendum appone, eique *tantum aluminis roche superadde*, quantum dissolvi ab igne poterit.

Deinde ablatum ab igne lixivium, in vas aqua limpida impletum effunde.

effunde, & color fundum petet, quo facto quieteat aqua & decantetur, atque alia recens affundatur, & cum tinctura resederit, decantetur, idque reiteretur, donec sal lixivii & alumen omne à tinctura ablatum sit, notando tantò magis pulchrum & elegantem fore colorem, quantò tincturam à sale lixivioso & alumine magis aquà purgaveris :

Aquam autem intelligo communem, cujus beneficio sal lixivii & alumen auferitur, subinde autem antequam decantetur aqua, subsidere aquam permittite, idque tam diu repete, donec aqua sine falsedine & non mutata exeat: id enim ablati salis & aluminis signum est, & tinctura in fundo remanebit elegans atque pura, quam aqua decantatâ super segmentis lini candidi extendes, & lateribus recens coctis in umbra siccabis, & habebis laccam qua victoribus simul & ad Balsama coloranda inservire poterit.

Multum curæ impensum est in hoc mēstruum; Id quod ex calce viva & soda fit, ut dictum supra, optimum est, cineres tamen ollares ut vocant vel clavellatos & alumen idem præstant.

Sunt qui omne colorum genus pro plantis, mediantibus his sibi comparant, & flores cujuscunque generis maximè conspicuos, videlicet *genista, papaveris, caryophyllorum*, & innumeros alios, propriis suis atque genuinis coloribus in ingenti volumine ad vivum adumbrant.

Colores perspicui solutionem aluminis tantum requirunt, à sale enim acriore destruuntur, ut in arte tinctoria & cineribus smegmaticis apparet.

C A P U T VI.

Seminum Analysis.

Semen Vegetabilium à principio duo emittit folia, per quæ liquorem ex terra attrahit, & hoc tam diu, donec confectæ sint radices, ut ipsarum postmodum ope terræ succum ebibant.

Minori vero aqua imbuuntur semina reliquis, si enim illa, ad altissima plantarum fastigia salia provexit, iis tunc arcetur, quia *in tanta circulatione salia abierunt in olea*, quæ aquam sua lubricitate mixtioni ineptam, subtilissimis seminum poris præcludunt.

Olea verò ex eis magna copia eliciuntur, partes enim crassiores nutrientes, porosiores fibras radice, trunci, ramorum infarciunt, subtiliora verò salia per capillarum fibrillarum anfractus rectificantur in semine, ac in oleum convertuntur, quod subtiliori Solis motu exagitatam expanditur in tenuissimas subdivisorum oleorum lamellas.

In Sole itaque & sal omnia. Cum enim nulla res corporea suâ vi sursum feratur, impulsore opus est, antequam vertex adeatur, quem quando salinæ particule per varias fibrillarum torturas compulerunt, arctissimè unita faciunt in olea.

Modus separandi hic est pro exemplo :

OLEUM ANISI.

℞. Sem. anisi ℥ iij. immitte integrum vesica, suo refrigerio optimè munitæ, ac superfunde aquæ fontanæ mensuras sex, atque juncturis justè clausis, *recipuloque adhibito*, destilla ut leniter aqua bulliat, idque continua donec nullum amplius egredi sentias oleum: summa verò *opus est diligentia, in hisce oleis colligendis*, nec nimis festinendum, nec tardandum nimium, si enim calorem adhibeas fortiolem aduritur oleum, *si verò leniorem nil ascendit.* Quædam verò leniori, quædam fortiori igni pellenda: sic *oleum anisi facilius ascendit quam aliud*, ac primis id funditur destillationis horis, *secus quam faniculi aut petroselini semen*, quæ, si per biduum destilles, semper aliquid exit olei.

Cautè hinc observandum, ut aquam egressam, vel recentem, vel semper egressam (oleo separato,) resarcias, ne adustionem semina patiantur.

Tria igitur hic veniunt cautè advertenda, ut ignis justè mensuretur, aqua refundatur, & refrigerium sæpius mutetur, quod, quo sæpius alteratur, eò purius olea ascendunt.

SAL VOLATILE ex SEMINIBUS.

Jam ad sal deveniendum, quod plus volatile, quam fixum, pro fibrillarum vel densitate vel porositate semen obtinuit, ac ita separatur.

℞. Seminis ruta, cochlearia &c. ꝑj. ficcatum & mundatum re-tortæ vitreæ immitte, ac lento igne destilla, primò exit phlegma, post cum spiritu sal volatile, pulcherrimis rhombis recipientis lateribus se affigit, sequente oleo eleganti & copioso.

Paucis horis re feliciter peractâ, *separetur oleum à liquore volatili urinoso, vel mediante filtro, vel tritorio minori, conquassato tamen leniter recipulo, ut sal volatile lateribus adhærescens, liquori immergatur, in quem finem etiam modicum spiritus vini, pro majori ablutione recipulo infundi potest, & tunc servari ad usum.*

Vires cum aliis salibus volatilibus communes habet, *oleum potest rectificari cum aquâ copiosa, vel Alcalinis sordes attrahentibus.*

Notabile est, quod impetuosa vi secessum faciente sale volatili ab oleo, sub finem vel in medio destillationis facile rumpi soleat re-tortæ corpus, præsertim, si paulo major destillationi fuerit commissa quantitas, licet ignis non adeo fortis adhibitus egressum urgeat, exprimento *Cl. Wedelii.*

Paucis hic expediendi veniunt fructus, in quorum maturacione, Qualium gradus accurate observantur, *acerbum enim in austerrum, austerum in acidum, & hoc in dulcem rursus mutatur succum: gradibus igitur hæc differunt, ubi diurnior solarium radiorum influxus dulcedinem adfricuit, unde & hæc spirituum elaborationi apta præsto sunt, ut cerasa, juniperi bacca &c. quæ mediante fermentatione ardentem nobilem fundunt spiritum.*

CAPUT VII.

Gummitum resolutionem habet.

Gummita superflui alimenti particulæ sunt, ad cortices propulsa, hinc salè minus elaborato, terrestrisque particulis maxime

impregnato constant, hincque minus subtilisatæ salinæ particulae concretionem induxerunt, ramositatibus sibi invicem implicatis admodum, unde tenacius oleum retinent, subtilius vero debito adhibito igne reddunt, quæ vero levissime concreta extant, fluiditati proximiora sunt, ut therebintina.

OLEA GUMMITUM.

Modus separandi olea levis est, instituitur optime simplici saltem cum aquâ destillationi, ad lb j. *gummi v. g. Ammoniaci, vel galbani &c.* assumendo *aquæ mensuras duas*, & ex vesica s. a. destillando, prodit vero subtilius oleum, crassiori remanente, quod aquâ exhalari permissâ, pristinam recuperans concretionis gummosæ formam, alii inferviet usui.

Quæ vero multum subtilis continent olei, ut *therebentina, taccamahac. gumm. animæ & similia*, hæc plus aquæ requirunt pro vehiculo.

Si vero gummosa concretio plus activis particulis contenta, ac firmissimè sibi implicatis indurata extet, ut *maslix &c.* Destillatio per retortam adhibetur, soluto prius gummi in aceto destillato, post filtrato; *liquorem filtratum cum argilla impastando, conglobando, siccando*, atque tum retortæ inditos globulos igni committendo, egressum vero oleum cum aquâ pura per vesicam rectificando, atque hoc modo galbanum storax, bdellium & similia etiam destillantur.

CAPUT VIII.

Vini analysin exhibet.

Summus hic vegetabilis succus, mobili socio stipatus, eundo vires acquisivit, aqua etenim arctissimum cum volatili sale iniit connubium, quò per lentam vitis medullam moveri queant velocissime, constrictiori inclusa ligno, per quod tamen spiritus volatiles altiori

altiori donanda volatilitate subtilissima vibrant spicula, quæ, si ex uvis eliciantur, *vinosus illicò succus* profluit, qui tamen *destillatus merum phlegma reddit*, volatilibus spiculis sive spiritu remanente, *ob nimium firmum aqua & salis sodalium*, quod ex diurnâ circulatione pepigerunt.

Quare *mediante fermentatione demum ex musto vinum prolicendum*, quod indigestum copiosius sal segregetur, ac spicula emergant penetrantiora, quæ tamen in his nostris *Rhenanis*, ac aliis, frigidiori sub Jove productis, non adeo turgent, ut per saporem & vires luculenter patet; sæpius enim *conspicimus Bacchi filios pro grato acidatis gustu*, *arthritidis pœnas luere*.

Et quis huc morborum transferet seriem, quam *Paracelsus* à Tartaro deducit, in quo acidum suâ coagulatione omne tulit punctum.

SAL VINI VOLATILE SIVE SPIRITUS.

Jam si vini illud volatile sal expetatur, spirituum destillationibus & rectificationibus infudandum, communiori verò methodo, sed probè ita separatur à vino. v. g.

Vescam suo refrigeratorio debite instructam, *vino ad dimidias reple*, appositoque capitello stanneo, juncturis probè clausis, ac recipulo adlutato, igni appone & s. g. destilla, donec striæ dispareant & *spiritus separatus sit*. Quem si rectificatum velis ex cucurbita vitrea per M. B. rectifica, orificio cucurbitæ (panno laneo, oleo imprægnato) obturato, ut phlegmati transgressus denegetur, ut purus solum transferatur spiritus: ubi tamen primo egressum solum seorsim servare poteris ceu fortiolem & subtiliorem.

Alii *solâ salis Tartari*, in spiritum vini etiam non dephlegmatum, *adjectione id præstant*, ubi phlegma sali se jungit subsidens, subtilissimus verò spiritus dulce spirans supernatat: cui alcoholisato ita spiritu *Helmontius* de novo commiscet *sal Tartari*, ut summè subtilem nanciscatur salino-sulfureum spiritum *Boyle*, de *inf. Experim. suc.* p. 88. §9. 90. ex hoc fundamento, hanc tradit spir. vini alcoholisationem, v. g.

ALCOHOL VINI BOYLEI.

R. *Tart. ad albed. calcinat.* (nam ut in sal redigatur, necessarium non comperio,) & probe siccatum cucurbita prolixa, & gracilis fundo, ad pollicis unius eminentiam immitte: huic spir. vini semel duntaxat rectificati tantum affunde, ut Tart. ad unius digiti latitudinem supernatet, dein capitello & recipulo probe affixis, blando calore abstrahere, mutato si libet cum dimidum exstillaverit recipiente, tandem si opus fuerit liquor destillatus super siccam Tart. calcem denuo ut antea rectificetur. Hinc modo descripto procedens, exstillantis, prima super sal rectificatione, liquoris aliquantum in cochleari argenteo accensum, ne guttulam quidem phlegmatis aut minimum madoris vestigium post se relinquere observabis: imo examen magis exquisitum sustinuit, quod ipsum curiositatis gratia ulterius explorare placeat: Et destillationi demum rite peractâ, totum spiritum, mutatis subinde recipulis, exprimenti causa exceptum æqualiter purum esse comperies, nam quod ultimò exstillabit, cum calx superiori vasis patri adhærescens, inchoatâ siccitatis indicium faceret, totus conflagratione absumptus est perinde ac qui primus ascenderat.

Tandem exemptus Tart. calcinatus & igne mediocri destillatus, inspidi & graveolentis liquoris aliquantum præbuit, qui ex gustu & quod nullo modo inflammari potuit, merum phlegma videbatur.

Eadem Tart. calx. in vase terreo igni vehementi, donec bene siccet imposita, ad hoc negotium rursus usurpari potest. Non abs re vasa alta & gracilia imperamus, nam in latis & humilibus experimentum non successisse, inquit, animadvertimus, & multo minus in retortis. Hunc spiritum ita exaltatum, potentissimum esse remedium contra Gangranam. *Experim. ejus Philos. p. 25. part. 2. lege.*

Alii ut volatile illud sal vini minori in volumine obtineant, hoc procedunt modo;

Recipiunt vini generosioris vel Hispanici, vel Bacheracensis Rhemani, vel simplicioris etiam, pro lubitu, digerunt per 14. dies vel tres

tres aut quatuor septimanas in fimo, vel M. B. Postea per phiolam spiritum extollunt, eundemque aliquoties per eandem rectificam phiolam, donec ad summam pervenerit subtilitatem.

Hujus spiritus ℥. ij. cum ejusdem recentis vini ℥. vj. miscent, & per phiolam denuo eandem solum quantitatem duarum nimirum librarum, nec plus nec minus eliciunt. Hunc verò laborem septima repetunt vice semper, libras duas affusas sex libris vini recentis, saltem abstrahendo, atque hâc methodo, fugacem adeò obtinent spiritum, qui non nisi in vitro Hermetice sigillato servari potest. Usus est in extrahenda *Auri Tincturâ* & conficiendâ *Lampadis vitæ Essentia Burgraffii*.

Glauberus paulò aliter processit, ut in cœlestem quasi Essentiam hoc volatile vini sal redigeret, ac salis Tartari volatilibus spiculis exacuaret, exempl. gr.

ALCOHOL VINI GLAUBERI.

℞. *Tartari crudi pulv.* ℥. j.

Salis Tartari fixi ℥. β.

Mista bene cucurbita inde, ut quarta vacua remaneat pars superfunde his *spiritus vini rectificati* ℥. iij. & subito capitello superposito orificium & juncturas claude exactissimè; atque in hâc pugnâ subtiliores *spiritus vini particule sibi similes è sale Tartari furabuntur* & secum evehent, ut simul facessent in sal volatile omni Acido destitutum, atque maximi effectus in *Podagra, calculo, confortandis & dulcificandis spiritibus*, ac omnibus infirmitatibus ab Acido vel superfluo vel vario modo alterato & acuto oriundis, quo enim rectificatio vini spiritus, eo dulcior, atque ita intensissimæ subtilitatis proprium summam esse dulcedinem, ex hac deprehendimus mechanicâ spiritus vini operatione.

Assimilatur huic spirituum in corpore humano fabricatio, qui per tot vasorum gyros circulantes sua mixtione dulcificationem perficiunt dulcissimi, ne aculeis suis depascantur carnem, & pro nutrimento, causam suppeditent.

In finito verò modo spirituum impeditur dulcificatio; modò animi contempletur pathemata, ubi à mœrore dissipatur & interrumpitur dulcificandi operatio, ut tum relinquuntur corrodescentes humores in Acidum proniores; *ab ira verò ferox excitetur Alcalinum ut præcordia exasfluent.* De externis ac aliis causis non hic datur dicendi occasio, sufficit hîc quod dulcia nutrire, & spirituum nobile esse Quale constat.

C A P U T IX.

Aceti Analysis.

Vinum quod in sui primordio, progressu & statu fuimus contemplati porrò *jam in decremento examinemus*; Idem enim hic tormentor cœlestis Sol vinum acuit, & acescere facit, quem aliàs spiritus fabricare vidimus, ubi uvæ succi cruditate austeræ, tum acidæ, solarium radiorum indefesso motu, spiculis aculeatis defricatis, dulcificatæ fuerunt. Jam si vino repletum vas sub dio exponitur, in superiori parte tantillum apertum, tunc *quæ sua implicatione dulcificationis, nunc sua secretionem acoris causæ evadunt*; dum austero-viscidus succus, spirituum aliàs elaboratorum retinaculum, iisdem celeri Solis motu extractis, seorsim existit.

Observamus hoc sæpius in aceti confectioe, ubi eosdem spiritus, ex solarium radiorum ceu primi fontis desiderio, per aërem dispersos, jucundo odore subolfacimus.

Hinc *cellas profundiores excogitavit ars, quæ spiritus, alias excedente calore ad exitum pronos, solaribus arceant radiis*, ubi spiritus verberio frigoris, vini quærent penetrare, ut sic vinositatem retineant. Atque tunc *in centro vasis vinum semper efficacissimum est*, aqueum verò magis in superficie, quia in hanc proximus Sol incumbit.

Ex

Ex hoc fundamento *œnopolæ sapius ex eodem vase duplex depromunt Vinum.*

ACETUM DESTILLATUM.

In aceti destillatione & resolutione, primis ignis gradibus recipitur *phlegma non inspidum*, & pro aceti efficacia multum vel parum exsuperans; *In acidis enim semper phlegma transit prius*, quia in his subtiliores spiritus exhalarunt, remanentes verò fixis sese intimius implicarunt, unde non nisi in totali resolutione, fixis acidorum cancellis firmissimè inclusi, evehuntur. *Deinde acidus prodit spiritus pro Tartari in vino copia multus, aceti basis.*

Ex massa verò relicta per affusionem aquæ Tartarus elici, exque eo postmodum sal & oleum parari potest.

Patet hinc *humores per solos dulcificari spiritus*, iisdem verò destitutos & acuatos, ad sua prima redire. In destillatione aceti probè observes ne igne nimium fortificato empyreumaticum imprimas factorem, hinc in tempore ab opere desistas.

ACETUM EX LIGNIS.

Destillatur item *ex quercino ligno & aliis per retortam acetum*, quod separato oleo, salis Tartari paucillo junctum & destillatum insignes obtinet virtutes in alvi fluxibus, *confortandis gingivis sanguinolentis, in hæmorrhagia, fronti applicatum & naribus attractum*, menstruum etiam præbet non infimum in extrahenda antimonii Tincturâ, tam ex regulo quam vitro, quæ tincturâ suâ ita spoliât, ut cineri simillima judices.

Sic & *ex melle non spernendum fabricatur acetum*, si tribus mellis libris aquæ mensuræ præter propter addita quindecim, una coquantur ad dimidias ferè, tunc verò vasi indita, & *imposito paucillo putvere sinapi albi*, calori apponuntur, donec fermentata acetum forte exhibent, in solvendis lapidibus non contemnendæ virtutis, si legitime à suo liberatur phlegmate.

Vires Acidorum in genere hæc sunt, attenuant sed non dissolvent, quia in fixis particularum motus est à circumferentia ad centrum,

unde passivorum applicatione frigida sunt, *attenuant viscosa inciaendo, penetrando*: morsum inducunt aculeis maximè prominentibus, unde si corpora nostra laceffant, spinæ instar pungunt.

CAPUT X.

Tartarum resolvit.

Tartarus *omnem efficaciam, acido debet*, & vel ab inconcocto Solo, vel ferventiori Sole, vino imbuitur; illius nobis exhibent exemplum, nostrum *Vina Germanica*, Solo, salium ditioribus mineris referto, nata: hujus, ubi in Italicis & aliis ardentiori sub Sole natis Tartarum ad duorum digitorum altitudinem, vasis lateribus adhærescere conspicimus. Si enim spiritum, ut in nostratibus, ex minori copia imbecillius sit robor, spicula statim exsiliunt, quia superficiem atomorum, tanto impetu spiritus non circumrotant, sed exasperari permittunt, quæ post pugnam cum particulis Alcalinis ceu plus corporeis, in Tartarum concrefcunt, fece fundum petente.

Si verò radii Solares vasis corticem feriunt, ut spiritus exulent, acida vasi undique adhærescunt, quibus tunc concretis, dissipationi præstò sunt novæ spirituum turmæ, quæ Acida cæteris associari permittunt: eodem modo, quo dimicantes in prælio cohortes per distinctos ordines sclopeta explodunt, ut qui erant primi posteriores fiant. Hoc verò modò *spiritibus exhaustis, acida particula vasi applicita*, per aqueas solutæ, *intrò resiliunt ut vinum acescat*: videmus hinc *acetum* ferè nil esse aliud nisi *liquidum Tartarum*, quæ omnia per solum Acidum activa sunt; quo orbatò & igne pressius fugato, enervius Alkali remanet, cui tamen si vis aliqua accessit, à velocissimo & diuturno ignis motu, subtilissima adfricante spicula habet.

Artifices circa hoc subjectum occupati, multis & variis id subjecerunt ignis torturis, ut inde concinnarent medicamina doloris, & fulcimenta sanitatis.

DEPURATIO & CRYSTALLISATIO TARTARI.

Cum enim fecibus ac terrestreitatibus sæpius junctum cernerent, depurationem variis instituerunt modis, & *vel simplici lotione*, dum Tartarum grosso modo contusum, aquâ frigidâ sæpius affusâ lavabant, & abluebant, quam *Henricus ab Heer*, in suis observationibus magni fecit; *Vel solutione*, ubi hanc commendamus depurationis methodum, nimirum:

R. Tartari albi integri grossè contusi, non verò pulverisati q. v. sæpius aquâ abluatur frigidâ, non calidâ, donec affusa aqua clara exeat & sordes separatæ conspiciantur. Tunc lotum hunc Tartarum sufficienti aquæ quantitate in vesica per horam fortiter coque, sub coctionis fine adjiciendo albumina ovorum aliquot cum aqua simplici conquassata, ut junctas concretionem impuritates in se recipiant. Hinc per linteum calidè coletur, & si quid remanserit Tartari nondum soluti, repetatur decoctio, donec omnis Tartarus solutus sit.

Tum verò omnes colaturas confunde & refrigerari ac crystallisari permittite, & reperies Tartarum partim vasis lateribus adhærentem, partim in fundo subsidentem, multis adhuc fecibus permixtum, & aquâ sæpius denuo affusâ, abluendum, & purificandum qui etsi non albicans admodum & crystallinus fuerit, sæpius tamen soluto præstat, utpote cui particulæ acidæ, quæ hic ab heterogeneitatibus saltem liberari, non verò debilitari debebant, maximam partem ignis calore extractæ deprehenduntur.

Vires cum reliquis acidis communes habet, attenuat viscosa incidendo, unde purgantibus optimo cum successu sæpè additur. In hypochondriacis vero affectibus ab exsuperante Acido, perperam propinatur, ubi suo accedens analogo, malum adauget. Multò efficacius adhibetur in Bile nimia volatilitate præditâ, & turgente, quæ per modum effervescentiæ cum hoc pugnans, ex suis prorepere latibus cogitur, vel in suo centro detinetur.

SPIRITUS & OLEUM TARTARI.

Destillatio Tartari spiritum, oleum & sal volatile nobis exhibet,

bet, in quibus tamen separandis Artifices multum discrepant, dum hic mox acidum, mox alcalifatum, & nescio quid exquirat: meliorem nobis constitutorum Tartareorum separand. methodum reliquisse videtur Nobiliss. *Fridericus Hoffmannus*, in sua *clavè Schröderianâ* ubi docet, destillandum Tartarum spiritu vini impregnare, ut ita latitantes in Tartaro spiritus alacrius ascensuros incitet; cum præcipit:

℞. *Tartari crudi solutione unicâ depurati* pro lubitu, pulverisatum spiritu vini impregna rectificato, q. s. tum ex retorta destilla in recipiens amplissimum, lutatis probè juncturis, & quidem igne gradatim adhibito. Atque primo extillat phlegma, deinde spiritus, & tertio oleum, ac si ignis regimen juxta ignis gradus benè rexeris, sal volatile etiam obtinebit. Quæ omnia peractâ destillatione ab invicem separanda, & spiritus ex oblonga phiola per B. M. vel cineres rectificandus.

Spiritus hic particulis acido salinis volatilibus saturatus, maximis virtutibus præditus extat, propter enim acido-sulfureas, *Pestis & Februm malignarum nobile est alexipharmacum*, cum acidus simul & sudorificus sit, atque ita corrosivas veneni particulas & acres, diaphorcsi expellat, & enervem roboret sanguinis massam, ut efferrata bili resistere queat: dulcificantes enim ejus particulae penetrabilia sanguinis percipiunt, ut quæ acria sunt & venenata salia, solvant, & cum sero foras protrudant.

Atque hæc sunt specifica & propria hujus spiritus virtutes. An verò in innumeris aliis quibus adscribitur affectibus conducat v. g. in arthritide vaga, affectibus hypochondriacis & aliis ab exsuperante Acido sæpius ortis, contrarius reluctatur effectus, si nimirum acidus est ut vulgo adulterari solet.

Ut verò spiritus hujus acido-sulfureæ intenderentur particulae, Mixturam simplicem *Paracelsus* excogitavit, quam *Fridericus Hoffmannus* compendiosè hoc modo parare jubet.

MIXTURA SIMPLEX.

℞. *Tartari albi* unica solutione depurati, vitrioli opt. ana. p. æq. destilla.

destilla per retortam, & super caput mortuum ter cohoba, quousque liquor apparet clarus, huic adde spir. vini rectific. partem dimidiam & denuo super viriololum destilla, & Tartarum calcinatum q. f. quousque spiritus omnis purus & subtilissimus prodiit. Qui tum per se, vel cum Essentia Theriacali per mensem & ultra circulatus leni calore, in dictis affectibus ubi acido-sulfureæ desiderantur particulæ magnarum est virium.

Dosis guttularum xx. ad xxx. & ultra, ubi spiritus Tartari simplex ad ℞j. & duos propinatur.

Oleum fetidum magna ex parte particulis salinis volatilibus imprægnatum cum spiritu vini circulabis, ut corrigas ingrati odoris vim, nec (si Alcalinâ adderes) spicula hæc fœtida liberando enervius oleum recipias, dum isto opere volatiles, fixis Alkali particulis absorptæ oleum relinquunt viribus potissimis orbatum.

Hoc oleum usum ut plurimum habet in externis artuum doloribus à frigido oris, item tumoribus, contracturis, & similibus.

SAL TARTARI.

Jam ut Acidi cum Alcalino congressus dilucidior fiat, sal Tartari ruminare, quod pro mutata particularum textura, vel fixum fit vel volatile.

Fixum simplici fit calcinatione in furno figuli, quod tum repetita solutione, filtratione & coagulatione purgatur, donec purum existat.

Hoc cum hætenus vili veste suam huserit scenam, Helmontius ansam dedit, & præcipit (ut hæc spoliatum, in nuda compareat & simplici forma,) volatilizare, ubi inquit: Si quis est qui medendo charitatem proximi cordi habet, discat dissolvens aliquod, quod sit homogeneum, immutabile, dissolvens sua objecta in materiam primam liquidam: Quod si verò ad istud ignis arcanum non pertingat, discat saltem sal Tartari reddere volatile, ut hujus medio suas perficiat solutiones.

Hoc enim informe accipit formam ejus, cui unitur, unde non immeritò in ferno omnia absorbendi comparatur, si enim calci viva nubas, simulque combutas forti igne, extrahit calcis simile Alkali, &

potens adeò efficitur, ut in igneam ferè natura convertatur, è quo si mediante spir. vini rectificato Tincturam extrahes, potentem ad calculum nancisceris medicinam.

In genere fixum Tartari sal universale exhibet absorbens, particularum acidarum, ubi reperiat, & si in liquida compareat forma, humido solutum sal, improprie oleum audit, quod omnes cutis sordities Acido ortas eluit, ac internè etiam Acidum quodvis exsuperans infringit & absorbet.

SAL TARTARI VOLATILE.

Accedimus ad volatilifandum Tartari sal, hoc, cum Helmon reticuerit methodum, varie ab artificibus solet elaborari: Ex omnibus veriore methodum, mediante fermentatione, se docere, nobis persuadere conatur Joël Langelot, ubi hanc commutat methodum:

Calcinentur primo Tartari crudi ℥.ij. vel iij. prout multum Tartari fermentare animus est, leviter saltem, & ad aliquam tantum nigredinem, ut habeas quo maxime opus, fermentum, Tartari fermentandi. Huic ollæ capacissima immisso affunde tantum aquæ, ut ad digitum latitudinem emineat, ignemque primò lentum admove, ut tantum intepescat, postea dimidium manipulum Tartari subtiliter pulverisati insperge, & brevi videbis bullulas quasdam surgere, & accrescere magis magisque. Hoc viso perge veluti ccepisti, partitis nempe vicibus Tartari pulverem inspergendo, & sic major fermentatio excitabitur, bullis exinde tam concinno ordine surgentibus, ac si ipsas uvas naturales, accepto colore conspiceres.

Verum accurato hic ignis regimine opus est, moderato nempe, quale omnis fermentatio requirit. Cavendum quoque ne copiosiori inspergione nimia excitetur ebullitio, & fermentatum, quod solet, olla elabatur.

Cessante fermentatione mitte omne quod inest ollæ in cucurbitam ferream, nam de vitrea periculum est, ne rumpatur, cum ei sæpiusculè lintea frigida madefacta, oporteat applicare, quo nimia Tar-

Tartari fermentati ebullitio prohibeatur, qui aliàs nimii caloris impatiens rapido cursu sursum ferri, & ipsum quoque recipiens vas ingredi solet. Atque eâ de causâ *ignis cautissimi regendus*, lentoque gradu augendus est, in fine tamen satis forti ut sal omne sursum pellatur.

Et comperies quoque, si ritè recteque processeris, crassum illum feculentumque Tartarum, fermentatione dictâ adeò subtilem volatilemque reddi, ut ne tantillum salis fixi in capite mortuo remaneat.

Liquorem egressum, quoniam multa aqua fermentationis causa additâ refertus est, multum quoque rectificare oportet, & quidem eo usque, donec subalbido colore appareat, quod indicat, debitam ei quantitatem salis volatilis inesse.

Quanti hoc æstimandum sit, vel solius *Helmontii* testimonium respicere jubet, idque non solum in affectibus corporis internis, sed & externis, adeoque *in ipsâ gangrena* mirabile deprehendisse, imo & ejus beneficio *Essentias quasdam parasse*, quas frustra aliis menstruis tentasset, asserit.

Alii ex fixo sale, volatile conficere student volatilium additione, sed modum, quo fixa redduntur apta ut à volatilibus pati possint, omittunt Acido absolvendum;

Aceto enim intra tres horas id posse peragi, polite ingeniosus Willb. ten Rhyne contendit, quod ab aliis vix intra tres hebdomadas. Redditur inquit volatile, postquam volatiles & acidas particulas amisit, aceto (spiritibus non plane privo, sed eos intimis particularum visceribus includente,) saturandum, ut etiam intra tres horas (ubi tres septimanas alias consumunt aliî,) Acidum manifestè spiret, tum spiritu vini aliquoties cohobandum, ut transeat in volatilisatum Tartarosal.

Ex hoc fundo *terram Tartarifoliatam* ortum traxisse quis non videt, dummodò ejusdem ruminetur confectio quæ ita se habet.

TERRA FOLIATA TARTARI.

℞. Salis Tartari albissimi ℥.j. ab hoc abstrahe aceti q. s. & insipidum

pidum elevetur, postea novum aceti spiritum affunde, & destilla, huncque reiterato laborem, donec spiritus affusus rursus exstillare incipiat acidus, qualis fuit affusus, atque tunc sal fixum spiritibus acdis volatilibus est animatum, quod nigrum in fundo spir. vini solvendum, per chartam filterandum, & lenissimo arenæ calore in vasis terreis siccandum, exsiccata materia, iterum spir. vini solvenda, filtranda & exsiccanda toties, donec massa appareat alba, & foliorum instar con-
crescat.

Vel si compendiosius velis hoc volatile sal terræ foliatæ nomine insignitum.

Acetum à sale Tartari evapora tam diu, donec Acidum spiret, postmodum coagula, & cum spir. vini edulcora sæpius cohobando. Ingeniosius Cnæselium processisse duco, qui propriis spiritibus animationem instituit, tali modo.

℞. Salis Tartari albiss. ℥. β.

Spiritus Tartari bis per cineres rectific.

Spiritus vini ana. a. l. ut quatuor emineat digitos.

Digerantur aliquandiu in loco calido postea spiritum abstrahere ad siccitatem: affunde novum spir. Tartari & spir. vini, & iterum destilla, idque toties repete, scil. sexies vel septies, & ultimò quidem per phiolam altam, donec sal Tartari in lateribus vitri, camphora ad instar appareat, quod vitro probè clauso serva.

Si hoc augmentare velis arcanum, adjice illi spir. vini opt. rectificati & alcoholisati, ad duorum vel trium digitorum eminentiam in vase optime clauso, tum misceantur & digerantur tam diu, donec cuncta benè unita sint, & de massa nil appareat amplius: hac solutione factâ, repone vitrum in locum frigidum, & crystallisentur rursus, atque ita augetur Tartari Arcanum vel volatilifatum sal in infinitum.

Vires salium horum volatilifatorum maximæ sunt, nec satis de prædicandæ in omni corrigendo Acido, ut affectibus Hypochondriacis, Arthritide, Podagra, Calculo, Febribus & similibus, imprimis sale volatili C. C. viperarum &c. fortificatum & exaltatum: si verò

Elixire

Elixire proprietatis absque Acido jungatur, exhibet Tincturam Splenicam, Nephriticam, Arthriticam &c.

SAL TARTARI VOLATILE HELWIG.

Similem inter alia volatilisationis salis fixi methodum nobis communicavit *Job. Otto Helbius* in sua, ex India Orientali in Europam ad Academiam Naturæ Curiosorum, missa Epistola, his verbis *in suo, in veram atque in auditam Physicam introitu*. Amore, inquit, proximi apponamus incognitum de sale arcanum: illam videlicet omnibus Chymix & Medicinæ cultoribus, desideratissimam, veram & placidam gravium ac calcinatorum salium volatilisationem. Ubi breviter notandum, *nullum in natura sal esse naturaliter fixum, sed omne, certo gradu volatile, & quod fixum possidemus ignis calcinatione nimium exsiccatum, combustum & mortificatum est. Reddatur itaque amissum, & corruptum restitatur per aërem (& inibi volitantia acidi spicula,) sequenti universali methodo.*

R. Sal aut calcinatum, aut naturâ grave, solve in aquâ, lixivio tenui ollam novam non vitreatam intus ad satietatem imbue, & super ignem evaporando, aquam sali associatam separa, si sal fixum ollæ poros ingreditur, & olla aëri exposita per aërem corrigitur, ut domo exeat, & volatilifatum ac spiritibus rursus animatum, lanæ instar, ollæ parietibus extra adhæreat, quod abrasum paucis manipulationibus sublimatur.

Vel per Acidum particulari modo.

R. Salis Tartari calcinati q. v. superfunde acetum vini destillatum, pone in digestionem, utque dum totum sal in aceto sit solutum: demum acetum cum soluto sale per 40. dies digere, post digestionem abstrahere acetum, & tunc in fundo sal crystallinus relinquetur ferè diaphanus, hoc peracto edulcora, solve aquâ pluviali destillata & semel atque iterum filtrando à fecibus purga, ut sal accipias clarum & albissimum, à quo per reiteratam cohobationem in B. Vap. destilla spir. vini phlegmatis expertem: digere rursus per mensem cum spir. vini: tandem igne arenæ vehementiore, detracto prius spir.

vini sublimatur, & vitri lateribus sal Tartari volatile adhærescere, jucundis conspicies oculis.

SAL TARTARI VOLATILE HELWIG:

faciliori via.

℞. Sulfuris comm. flavi ℥ j.
salis Tartari ℥ ℞.

Prius leni igne in tigillo fluat, & posterius ad finissimum redatum pulverem addatur, semper spatula lignea in sulfure fluente moveatur & super carbonibus sinatur, usque dum massa aut hepar picis tenacitatem acquirat. Massam in ligneum atque paulisper madidum effunde orbem, calidum adhuc in mortario calido contunde, & sufficientem spiritus vini quantitatem ad latitudinem duorum digitorum affunde, qui mox moxque tincturam sulfuris extrahit: hanc separa, & ex tinctura & fecibus forti igne tractatis sal Tartari sulfuris sale correctum, & volatile paucis horis depromes.

SAL TARTARI VOLATILE Aliud.

Paulò aliter procedunt alij, dum fixum sal in proprio oleo occultato Acido, animatum, volatilifare student. Recipiunt enim olei Tartari fetidi part. j. salis Tartari ex capite mortuo post spiritus extractionem relictæ partes ij. terunt peroptimè in porphyrio calefacto paulum, per aliquot horas, ut mellis formam vel consistentiam referat. Non verò nimium nec plus olei admiscendum, quam requiritur, quod enim supernatat superfluum est nec ab Alkali melioratur: mixturam hanc cucurbitula immitte optimè clausa, ac lentè aliquot mensium spatio digere, hyeme supra fornacem, ne oleum ascendat, sed in sal omnia vertantur indurata, quod tum fortiori ignis pulsu sal volatile copiosè transmittit.

Leviter alij procedunt dum vini feces à quibus spiritum abstrahunt, putrescere loco aperto sinunt, ac tum, per retortam destillant in sal copiosum volatile, denuò per phiolam rectificandum.

Sic & hisce volatilifatis salibus non absumilis est Balsamus Samech Paracelsi, qui fit sæpissimè reiteratâ spiritus vini rectificatiss. à
sale

sale Tartari abstractione, donec videlicet sal fixum Tartari volatili spiritu vini imprægnatum, liquorem sive spir. vini adedò efficacem destillari sinat, ut erat affusus. Tum verò *saturatum sal cum terra figulina mixtum*, destillatur ex retorta in spiritum salino-volatilem Balsamicum magnarum virium.

TARTARUS VITRIOLATUS.

Degeneravit ab hisce salis fixi volatilifandi modis medicamen, multo ab imperitis in usu, nomine Tartari vitriolati insignitum: hoc acido planè immutatum nec verò exaltatum est: en compositionem!

R. *Salis Tartari, pulcherrimi* pro lubitu, superfunde guttatim spiritum vitrioli rectificatum tamdiu donec ebullitio & pugna cesset, tum supernatantem abstrahere liquorem lento calore ad salis vitriolati siccitatem.

Hoc vitriolatum sal mirum quantum commendant Galenici, dum omnibus suis ferè purgantibus admiscunt, ac pro universali commendant digestivo, præprimis in Hypochondriorum, lienis & aliorum obstructionibus: sed quam malè, contraria sæpè & mala exinde demonstrant introducta symptomata, ut *cardialgia, vomitus* ac plus rebelles redditæ obstructiones, quæ, quando ab Acido variè vel exsuperante, vel alterato ortum ducunt, maximum hoc, & valentiorrem nanciscuntur adjutorem.

Majori verò cum successu propinatur in bilis exsuperantis variis alterationibus, ubi particulis suis acidis earundem biliosarum particularum levem effervescentiam refrænât, vel alteratas & dispositas purganti expellendas tradit.

TARTARUS SOLUBILIS.

Consideratius elaborarunt alii suum Tartarum solubilem, ubi sal fixum Tartari particulis quidem propriis acidis alteratur quodammodo, sed tamen non immutatur, quin plus ad volatilitatis statum disponatur, majores tum exerturus effectus, in dictis ab Acido

oriundis affectibus, & alterando superfluo Acido. Elaboratur verò duplici modò, vel fixo vel volatili alcalifato fale addito. Si fixo:

℞. *Olei Tartari vel salis Tartari resoluti* quantum libet, in capaci ollâ calefacto injice per vices semper paucillum Tartari purificati & subtilissimè pulverisati, injectionem tam diu reiterando, donec lenis pugna non conspiciatur amplius, tunc desiste, & refrigeratum liquorem filtra & serva.

Si volatili addito fale expetas solubilem Tartarum.

Cremori Tartari subtilissimè pulverisato, in cucurbita superfunde spiritum salis armoniaci urinosum ad eminentiam duorum digitorum, & cum hæc mista steterint in cella 24. horis, postea adde *aq. fontanae* q. s. & per 6. vel 8. horas coque, semper aquam decoctam refundendo, post filtra, & in arena evapora.

Nonnulli addito vitro antimonii pulverisato, ac unâ cocto, Tartarum concinnant solubilem emeticum, eximii usus & effectus.

Si verò cum hoc solubili Tartaro limaturam martis per mensem fermentant vel digerunt, tum fabricant martis tincturam in hepaticis debilitatibus & variis ejusdem infirmitatibus non spernendam.

CAPUT XI.

Succorum quorundam pertractat anatomen.

DE OPIO.

OPIUM papaveris succus est, qui è viridi papavere certò tempore vulnerato, vase circumjecto excipitur, ubi tunc ad vasis formam in casei rotunditatem concrefcit, atque magis pellucidus pro optimo habetur.

Quod fomno lethale sit opium inde est; quoniam in hoc oleo-
sæ cum acerbis à Solari igne partes convolvuntur, ubi pro mixtione inducitur cum acrimonia conspicuitas, & cum hæc læsio, concludi-

cludimus hæc, quoniam humo pingui papaver, hyosciamus & similia delectantur, ut etiam oleum avidius devorando campum enervent, & sterilefcere faciant, quod tum sufficienter exprimitur, narcotico suo sulfure cerebrum feriens; hinc non immeritò opium corrigendum igni exponitur, ut sulfurea exhalent miasmata. In quibus ulterius perficiendis & corrigendis alii varios excogitarunt modos, dum alii ista miasmata figendo, alii vel plus exaltando opium corrigere insudant. Ubi tamen aliqualis fixatio mediantibus Acidis facta omnibus præfertur correctionum modis, nec infima est Excell. Wedelii correctio quæ hæc est:

EXTRACTUM OPII juxta WEDEL.

Recipit opium, in tenues lamellas scissum, lento calore exsiccat, tum pulverisati opii uncia uni phlegmatis aceti destillati ab arcano Tartari resultantis uncias sex vel octo superfundit, tunc vitrum calenti arena imponit, ut agitatione cum spatulâ factâ solvatur opium: ubi pars impurius spumosa, vitri summa lambit, pars verò terrestrior fundum petit. Colaturâ per linteum factâ ad mellaginem abstrahit vel in Extracti formam redigit. Tunc si in liquida rursus expetit formâ:

Huic in consistentiam melleam redacto opii extracto, affundit spir. vini plus vel minus, prout vel saturatiorem vel dilutiorem Tincturam expetit, ac ita suam parat Tincturam anodynam maximi usus & effectus. Dosi gutt. x. ad xx.

Alii omnibus correctionem modis posthabitis, præferendam volunt Joelis Langelotti methodum, mediante fermentatione noxia opii miasmata alterantem, & moderatè acidas imprimimentem particulas, quæque hunc in modum se habet:

EXTRACTUM OPII LANGELOTTI.

℞. Opii Thebaic. in particulas conscissi ℥. j. affunde ei in cucurbita humili succi cydoniorum bene maturorum recentissimi ℥. x. adde salis Tartari albiss. & siccati ℥. j. expone leni calori per diem unum aut alterum, usque dum bullæ quædam appareant, tunc adde

adde istius promovendæ causa *sacchari pulverisati* ʒ iiij. porro *eum caloris gradum observa, quem fermentatio requirit*, sic videbis opium vehementer attolli & resolvi per minima, (cave verò à sulfure narcotico graveolenti, quod tunc solet expirare.)

Tum videbis partem impuriorem volatilem spumofam superiora petere, *partem verò magis terrestrem in fundo subsidere*, tandem *in medio consistet purior pars*, nimirum liquor rubini instar pellucidus, quem cautè separabis, & debitâ destillatione *ad mellaginem inspissabis*, quam denuò *spir. vini alcoholisato dissolvas & filtres*, ac per mensem digeras, ut quicquid adhuc crudi inest, cœlesti illo igne maturetur. Atque tum spiritu ad debitam consistentiam abstracto, nactus eris essentiam tantæ virtutis, ut etiam *dimidia grani pars*, appropriato propinata vehiculo, mirandos præbeat effectus.

Particulae namque volatiliores hac methodo quodammodo fixatae, ac nonnunquam aromaticis temperatae, incensivos spirituum motus refranant, atque apto vehiculo hac provecta opiata (quia oleosa & terrestria obtundunt,) spirituum claustra obserant, ut fortificati post modum repululent, nam nullo corporis exercitio dissipantur, quamdiu somnus imperat; adeo ut à moderatissimâ anodynorum dosi introductam quietem, dulci somno peractam, sequatur corporis vigor, mentis valor, acrium dulcificatio & laudabilior nutritio ut politè ac ingeniosè sentit Wilhelmus ten Rhyne in suis meditationibus de veteri Medicina p. 249.

Maximo ideoque cum emolumento datur *in Colica, Arthritide vaga & fixa, febris ardentibus*, & aliis variis doloribus, à *spirituum exorbitante motu & acredine ortis*, cum *sale Tartari volatili, C. C. spir. salis armon. & c.* Dosi gr. j. ad iiij. & iiij. sæpius etiam ultra exhibitum.

Nota hic, fortiora acida volatiles & resinosas opii particulas obtundere nimium; spirituosas verò, ut vini spiritus & similia exaltare, hinc cautè procedendum.

His causis permoti alii opium *simplici saltem tostione correctum*, ceu venenosioribus miasmatis tunc privum, reliquis verò viribus nondum orbatum præferunt, & dosi unius grani propinatum extollunt.

DE ALOE.

ALOES particulis alcalinis volatilibus, asperioribus tamen, & hamatim inter se nexis constat, unde *duplici patet menstruo*, vel *aguoso* vel *spirituoso*: indeque patet solvendum cum solvente ejusdem esse indolis.

Socotrina dicitur, cum ex *Insula Socotra*, ubi copiose colligitur, advehitur, *alii* verò à *succo* denominationem derivant, cum ex succo concreta extet; *optima est flavescens & pellucida*.

Cum verò particulis suis acutissimis sed plus alcalisatis, *sanguinem fervidiorem reddat*, hincque caloris sensum inducat, artifices hæc hebetare intendunt spicula, variâ correctione; Inter quas hic *Pharmacopæorum Francofurtensium* ab aliis creditus modus, fere optimus censetur, dum levioribus *seri lactis aciculis*, volatiliores Aloes particulas aliquantulum obtundunt, aliis verò additis purgantem vim forficant. Modus talis est:

Solvatur Aloes cum seri lactis s. q. moderato tamen calore, factâ solutione requiescant, ut crassiores subsident feces, quo viso quod clarum est decantetur, & legitimè rursus inspissetu.

℞. *Hujus extracti* ℥. v.
Extracti violarum ℥. j.
colocynth. ʒ. v.

Fiat massa.

Si verò tantum laboris non impendunt *Pharmacopæi*, hinc *Aloem simplici* saltem *violarum infuso* solvunt, filtrant, & *inspissando debitam Extracti colocynthidis dosim addunt*, & ad consistentiam juste inspissant.

Violarum extractum, sæpius repetitâ infusione cum recentibus semper floribus, ac expressionibus, ac ultimò cum albuminis ovi clarificatione, ac justâ decoctione tandem, paratur.

Vires Pillularum Aloëticarum leviter purgantes sunt, & *frigidis ventriculis magis quam calidis conveniunt*, non verò tam propter vim quam habet penetrandi ac calefaciendi, quam propter cruditates acidas,

acidas, quas amara, alicalisatis volatilibus referta, maxime infringunt.

Distinguunt nonnulli inter partes Aloes resinofas spir. vini extrahendas, atque ad Elixir proprietatis proprius assumendas: Et inter salinas plus aquosis educendas ac magis purgante vi præditas, unde conficiunt non contemnendum Elixir purgans, additis spir. vini ac arcano tartari. Vel Aloen succo violarum solutam, eoque sæpius nutritam, ac coagulatam, cum essentia absinth. alcalisata in minutissimas efformant pillulas: Quæ ob singularem absterfivam & laxativam vim dosi minimâ scil. ad 4. 7. vel 9. decubitus tempore sumtæ, mira præstare Fridericus Hoffmannus asserit.

DE SCAMMONIO.

SCAMMONIUM plantæ lactescentis, sed radicis succus, *particulis maxime volatilibus sed acrioribus constat, unde non facile incorrectum propinatur, nisi acriora spicula, sulfuris acido fumo alterata sint, ac oleoso, quodam addito, veluti amygdalis dulcibus eo disponatur, ut tanquam resinofum facilius solvatur nec adhærescat, vel humores acrius reddendo tormina excitet. Hinc alii libentius hujus usu abstinere, & ejus loco commendant.*

Jalappe Tincturam, quam parant cum spiritu vini sed rectificato, ad unam partem Jalappæ grosso modo contuse sex spir. vini partes affundendo, additisque corticibus citri, in loco tepido locando, donec tinctura legitime extracta deprehendatur: quam tum pro lubitu Syrupi Cinamomi, vel saccharo edulcoratam, ad coehlear. semis vel unum optimo propinant cum effectu. Et si fortiorem volunt. paulum addunt infuso scammonii correcti, vel aliud purgantis genus.

DE CAMPHORA.

CAMPHORA arboris cujusdam lachryma resinosa, particulis Alcalinis volatissimis, propria balsamica pinguedine resinosa saturatis, constat, hinc delectatur maximopere fortioribus ac subtilissimis Acidi spiculis, cum *spiritu enim nitri, vel aqua forti, olei for-*

nam ludit, non vero cum acido leviori, ut aceto, vel reliquis succis acidis, hinc *maximo cum effectu in febribus malignis ac ipsa peste propinatur*, dum malignum & venenosum suffocans acidum, in sanguine hinc inde fluctuans, & patientes sine intermissione exanimans absorbet, unde & *Tincturam Bezoardicam* efficienter ingreditur, ac ab *Avicenna* olim *Theriaca* contra Venena calida appellata & celebrata fuit, quod ut inquit, spiritus vitalis ab ea subtilitatem acquirit & luminositatem vehementem, proptereaque *letificet*, & *confortet*: causa effectus, poris appropriatis videtur adscribenda, quibus, *subtilissima acidi spicula imbibendo operatur*, eis namque aqua debilitatis acidi particulis, pristinam reassumit formam *Camphora*, eundem præstitura de novo effectum, nec viribus orbata.

Excell. *D. Job. Conradus Brodbeck, Tubingensis Professor*, secretis suis adnumerabat *Camphoram*, quam *spir. vini tartarificato*, vel *tiliorum convallium*, vel *granorum actes* solutam, externe optimo cum effectu adhibebat, in tumoribus durioribus emolliendis, inflammationibus comescendis, & artuum doloribus sedandis &c.

Internè eam propinabat, *spiritu melissæ & spir. vini Tartarificati* ana. p. æq. resolutam, & additis sæpius aliquot guttulis *olei castorei still.* vel *meliss.* in suffocationibus uterinis exhibebat maximo cum levamine. Vel detur in hujusmodi affectibus *oleum succini camphoratum*, ex *olei succini* p. ij. & *camphoræ* p. j. paratum, quod mira præstabit.

Sic & in Colica furiosa, *unicam drachmam camphoræ cum olei cortic. arant. dest. ʒj.* dissolutam calore leni, & *Extracto absynth.* liquido addito, sæpius exhibitam dosi aliquot granorum, Acidum corrosivum absorbendo, infandum tollere dolorem, *Frid. Hoffmannus* habet.

OLEUM CAMPHORÆ.

Ut in oleum abeat camphora, artifices varios excogitarunt modos, quos hic recensere omnes, pro supervacaneo reputo, si quis verò hoc absque additione expectet oleum, *misceat cum bolo vel terra sigillata camphoram*, & in arena per retortam destillet, ac ascendit initar

butyrî camphora, quàm cum salis Tartari p. ij. addito spir. vini ad trium digitorum eminentiam, ex balneo per alembicum destilla. Atque tum vini spiritum camphorâ imprægnatum, cum aqua misce, & separabitur de eâ Oleum, quod supernatat; quodque si rubescat, super talcum calcinatum rectificetur.

Olei hujus usus maximè à Paracelso commendatur in Mania ad ʒj. datum, quod furibundos spirituum motus glaciæ instar coagulet. Ubi Riverius sequens laudat epithema camphoratum, quod ex Aqua Nymph. ꝑ j. salis prunellæ ʒj. camphoræ ʒj paratum, linteis duplicatis tepidè fyncipiti admovet.

Porro Paracelsus miris extollit laudibus camphoram in sedandis insultibus Epilepticis, & extinguendis pungentibus acidi spiculis nervos vellicantibus.

Sic etiam in variis capitis doloribus ab acido ortis, miram præstat efficaciam, modo non adsint vigiliæ, ubi tum optimè combinatur cum Opio, & externe sæpius fronti adhibetur: testatur hoc Mindereus, quod camphoram extrinsecus fronti adhibitam in cephalalgia plurimum prodesse observavit. Ac in hâc, Khunrath solvit camphoram in spiritu Vini rectificato, addit albumen ovi, & aceti rosacci cochlearia aliquod, & fronti applicat.

Externè ad calidas oculorum lippitudines collyriis utilissimè additur camphora, ut & aliis variis ophthalmicis v. g. ꝑ. Album ovi q. v. bene agitato cum Alumis frusto, donec in linimentum album abire videas: tum adde camphoræ q. s. ac paulum Aqua rosarum, & cum cannabe applica.

In dentium dolore cum Oleo caryophyll. & opio mixta omnibus odontalgicis facile palmam præripit.

Denique inter cosmetica non infimum tenet locum, cutim enim aridam maculisque fœdis squalidam, grato vigori donat, lacteamque reddit, præprimis si aqua forti soluta & aqua reducta, cumque spermate ceti & aliis juncta applicetur, postmodum vero aquâ quadam appropriata rursus abluatur.

Paucis omnia contraham; conducit & peroptime adhibetur ad omnes.

omnes Affectus, ubi exsuperantia, vel vario modo alterata deprehenduntur miasmata acida, omnis doloris causa; furias etenim hasce doloris, spiritus exagitantes nervosque excruciantes, sibi associat camphora, eos vero pristinam in libertatem vindicat.

Exulet vero ea, ubi bilem nimia volatilitate in morbis dominari suspicamur.

DE FULIGINE.

FULIGINEM paucis perpendamus. Hanc vero ex fumo, *fimum ex combustorum adusto Oleo* provenire comperimus; si in papyraceo cono ad extremum conflagrato, fumum in empyreumaticum concrefcere oleum conspicimus, Odontalgia& conducens.

Primordia ideoque ejus in flamma, continuationem in fumo; vigorem in camino, ceu in aperta destillatione; Perfectionem vero in retorta acquirit.

Destillatio per retortam fistilem, aperto igne successivis gradibus instituta, exhibet primò *phlegma cum spiritu albicante*, postea *Oleum flavum*, & ultimo *rubeum cum sale volatili*, quod sæpissime etiam in prima destillatione impetratur, sed non semper, atque interdum non nisi in tertia rectificatione ascendit, si verò recte paratum fuerit leni calore, promptè ad summum ascendit phiolæ.

Spiritus rectificatus ex sale suo volatili imprægnatus Syntopizantes restaurat, suffocationes uterinas restringit, &c.

Sal volatile, ut aliorum volatilium sal, instar camphora& granulata& rectificatum, facile, excepto unico tartari sale volatili, omnibus aliis in tota rerum naturâ palmam præripit: de hoc enim *Cl. Hartmannus* deprædicat, quod si æger assumpto hoc animam agens non convalescat, eum certò esse moriturum, si autem hujus usum insequatur levamen, ad valetudinem rediturum: atque hoc esse verum à se non semel probatum *F. Hoffmannus* in sua *Clave Schröderiana* confirmat.

Inter Olca hoc altero magis adustum prodit. Quod magis adustum est levi aspergine illitum combustionum dolores mitigat:

minus combustum acria temperat, & cancrofa ulcera sanat, præprimis si ex capite mortuo ulterius calcin. extractum Sal fixum, volatile acuerit, tum enim carnis luxuriei occurrit; ubi oleosæ partes escharam juvant.

Externè ipsa fuligo, arcendis febribus intermittentibus, affectionique hysterica, à mulierculis laudabili cum successu carpis imponitur; & ab Hippocrate inter ipsa fœtum pellentia refertur.

OLEUM FULIGINIS.

MIRABILE ex Fuligine OLEUM communicat *F. Hoffmannus* in sua Clave, ac ita parare præcipit:

Recipe *Fuliginis succini instar splendentis nigri*, ex ligno potius quercino collecti; *Succini albi ana. p. æq. destilla* lento ignis gradu per retortam ex arena, ut primò phlegma, deinde spiritus albicans, & ultimo Oleum album & rubeum cum sale volatili prodeant, postmodum liquorem ab oleis separatum, per M. B. rectifica, & acquies sal volatile; Oleis denique affunde *Spir. Vini*, digere aliquantisper, postea destilla & nancisceris *Oleum odorem camphoræ emulans*. Cujus Dosis gutt. tres sunt, in omnibus ferè affectibus, præprimis verò pleuritide.

Imò agonizantibus exhibitum miraculosè operatur, & si post ejus usum sequitur sudor, infallibile reconvalescentiæ signum esse experti asserunt.

Cum ideò Fuligo tanta nobis exhibeat Medicamenta, non immeritò nonnulli hoc ei tribuunt encomium, quod, si in ejus vires inquiramus curiosius, facile ab *Indis & Garamontis* allatis pretiosioribus carere possimus.

A CLAUDERO in sua methode Balsamandi corpora, inter alia maximè prædicatur.

Essentia Alexipharmaca,

ex Fuligine. v. g.

℞. *Fuliginis Splendentis, Spiegel-Ruß* q. v. & quidem si haberi poterit, e fumariis, ubi potissimum comburantur ligna quercus, betulæ aut pini, eo melius erit: pulverisato superfunde in vitro

Spiritus

spiritus nostri Balsamici è sale cinerum clavellatorum & sale armon. facti q. s. ad eminentiam aliquot digitorum, hinc vitrum claudatur probe, ne pars volatilior evaporet, agitetur aliquoties, & spatio dimidiæ horæ quadrantis, imò citius spiritus menstrui salinus, extrahit & absorbet sal & virtutes fuliginis, ut subito obtineas Essentiam pulcherrimam rubini formem, ab omni empyreumate, sapore, & odore molesto liberam, quæ filtretur & in vase probe clauso usui asservetur.

Dixi extemporaneè extrahi ruborem, ubi tamen nullum in mora periculum, magis erit conducibile, si diutius relinquuntur, observabis enim eo largius exsugit è fuligine vim medicamentosam, præcipuè si uberior menstrui copia fuerit superfusa.

Quoad *VIREs* Essentia hæc ob penetrabilem subtilitatem *pollet vi diaphoretica Diuretica, Aperiente, Purificante, Præcipitante, Abstergente, Resolvente, atque huic, Cordiali, Bezoardica, Febrili, Nephritica, Expectorante, antipleuritica, catarrhali, quam vocant, Nervina & similibus.*

Ubiunque igitur (sunt verba *CLAUDERI*) contra notata symptomata, secundum edoctas indicationes Medicas pro solatio ægrotantium indigebam medicamento, *Essentia hæc Alexipharmaca præ omnibus aliis suam mihi operam hæcenus subministravit, & quidem desiderato successu, quod sancta testari possum fide* (quantum quidem sub directione Divina, adhibita remedia, sine suo potiri possunt:)

Dosis hujus Essentia sunt 25. ad 30. gutt. i. 2. 3. vicibus de die prout necessitas exigit. Si verò fortè sapor alcalicus volatilis quodammo penetrans, non fit ad palatum, diluatur anatica portione aquæ alicujus spirituosæ, v.g. sambuci, acaciæ, nasturtii &c. sed tunc Dosis augeatur ad 40...45. guttas.

Essentiam hanc dicto modo propinavi pauperculis, & qui erant fortioris temperamenti feliciter. Aliquando addidi modicum Essentiæ opii pro citius supprimendis & figendis nimis, ac p. n. sanguineis fermentationibus.

Non possum non, quin summè honorificam nunquam satis deprecandæ

dicandæ ac infinitæ misericordiæ divinæ adjungam mentionem, quæ præter innumeras alias beneficiorum myriades cuilibet patrifamiliâs, five is inhabitet Palatium regium, five levissimum tugurium, immittat tam generosum remedium contra tam varios morbos quasi gratis suam opem commendans, licet vilissimo coopertum sit habitu.

Quam sæpe enim solet accidere, ut paupercula laboret Partu difficili, vel hysterica suffocatione, quam vocant, crucietur, alii verò patiantur lipothymias Febres aut centena alia incommoda morbosa, ubi salia volatilia præ aliis subitaneo adsunt auxilio suo: ob defectum autem nummorum, vel & remediorum non cito obtinendorum (v. g. si ruri habitant) non rarò vitæ periculum incurrunt nescientes, in paupere sua taberna reconditum latitare tam incomparabile auxilium, quod urgente necessitate, & in complexionibus fortioribus etiam crudè saltem assumptum, laudabili non minus operatione sese commendare posset & solet. Hæc Clauderus.

Spiritus Balsamicus Clauderi.

Mediante quo non tantum hanc suam modo dictam Essentiam Alexipharmacam conficit, sed & corpora post mortem incorrupta conservat sequentem in modum conficitur. v. g.

℞. *Cinerum clavellatorum*, libras duas *Salisarmoniaci pulv.* lib. unam, superaffundantur *Aque communis* libræ sex, & destillentur per alembicum in arena observatis ignis gradibus, prout artis filiis notum.

Hoc etiam menstruo utitur *Clauderus* ad *Elixir suum Aperitivum* conficiendum.

Ex præcedentibus in genere patet Vegetabilia omnia constare copiosâ aquâ, sali, sulfuri, & terræ, junctâ; & prout hæc vel illa abundant partes hoc vel illo modo situantur, miscentur, disponuntur, talem nanciscuntur proportionem & figuram ab alia differentem.

Hinc quædam Aquea, quædam sulfurea seu oleosa, quædam ponderosa, quædam lævia, quædam dulcia, nonnulla acida, austerâ

stera, amara, acerba, alia odorifera, foetida &c. quædam rubra, quædam alba, nigra, grysea purpurea flava &c. emergunt.

Omnibus hisce diversitatibus, *universalis ille Geometra & Architectus LUX* præest. Hæc est quæ omnia miscet pro cujusque exigentia: Idæa verò evoluta ea conservat, in finem Mundi ita à Deo jussa.

Sapor est à prædominante sale, ubi verò odor simul concurrat & saporem excedit, tum sulfur prædominari videtur.

Color vero est à mirabili dictarum particularum mixturis, posituris, formis angularibus, planis, regularibus, irregularibus, & innumeris talibus in quas *Solaris Lux* impingens, differenter esse mixturas, & colores, monstrat.

Sal Duplex vegetabilibus inest, unum volatile per se, Alterum Fixum per accidens, hoc namq; æquè volatile fuit, sed à terræ copia, quæ tam citò in crematione sequi nesciebat, depressum fuit.

Est ergò Sal fixum productum ignis novum, & quod aliàs ante volatile erat, cujuscunque vegetabilis & animalis Basis, hyeme in radice latitat, & fomitem vitæ sustinet, donec tempore verno terræ poris reseratis Idæa s. Lux insita, novam quasi producat vitam, vegetabile in priores dimensiones, figuram, Colorem, saporemque refuscitans rursus.

Vegetabilis verò cujusque Idæa, sive Lucis & contentorum motus, & actio varia, in semine Idæam similem sibi, imprimit, quod tum in terram projectum, similem rursus Idææ suæ herbam, vel vegetabile producit.

Lux in semine primum vitæ gradum sibi vindicat, ex hoc ad secundum dispositum promptè, & cum semen in terram projicitur, tum in terra habitantes particule Salino nitrosæ, volatiles acidæ, mediante aqua in illud agere incipiunt, & particulas ejus ab invicem divellere intendunt, tum verò lux insita, & à suavi acido nitroso in motum concitata, ideam contentam evolvit, & in semine latitantes particulas principiantes, in tenuissimam figuram disponit, quibus particulis tum delineatis, caudicem in terram defigit, & per
hanc

hanc conveniens nutrimentum attrahit, & cuilibet delineatæ particulæ distribuit, & sic auget pro justo & æquo, Luce ita disponente, & suam concreatam scientiam habente, instar artificis observans, quid ad dextram, quid ad sinistram, quid ante, quid post locate & producere debeat, exactè jussum Dei exequutura :

Et quando tum aquea viscositate soliditatis parum acquisivit, tum terram perforat tenellus fœtus, Solem adoraturus ut cum insita sua luce communicans, ulterius robur addat, quo ex atmosphæra sibi conveniens *alimentum* haurire, idque per radicem, atque *inter corticem & truncum sursum ferre*, sicque augeri, & tandem maturitatis terminum assequi queat, rursus denique idæam semini impressam relicturus.

Præter Salem, *duplex item sulfur vegetabilibus inest*, proprium unum in oleo contentum, minerale alterum, à vegetabilibus aquâ mediante, in alimentum simul attractum:

Utque ad eò non mirum, quod nonnulli stannum, alii mercurium, vel argentum ex vegetabilibus vel herbis separarint, in poris namque earum hæc latitarunt particulæ, mediantibus, vel junctæ alimenti particulis, adductæ :

Patetque hinc mineralium particulas simul in alimentum vegetabilium cedere posse, etsi non sint de horum natura.

Sulfur verò ex carbonibus vegetabilium quod ob æquilibrium salis saltem candet; non verò flammam facit, nisi vento commotum) educi & separari potest tam bonum, ac ex terra eruitur,

multò tamen purius, quia ad Auri puritatem, ferè accedit,
& ex illa Auri particula; sine tamen lucro extrahi potest.

